




1. Stolberg / Balth. / Diff. de Angary.
Veterum Wittenbergae, 1680.
2. — Diff. de prosecutis Iudeorum
Wittenbergae, 1682.
3. Strauch / Agidij. / Diff. de Spirituali
Fidelium rectione, Danicæ, 1672.
4. Rechabami Regis Iudeorum
Vita e 1 Regum xx Dissertatione
descripta, Wittenbergae, 1683.
5. Toepper / Andr. / Diff. ex Jerem. XVIII
v. 1-6. Ius figuli in futurum compa-
ratum cum Iure Dei in domum Israel.
Wittenbergae, 1695.

6. Toeppfer / Steuer Andr. / Diff. de Tiaris
minorum Sacerdotum, Wittenbergie, 1722.
7. Vaget / Augustini / Diff. de Columnis
seue Templo Salomonis joachim et
Boas. Wittenbergie, 1693.
8. — Diff. 2 da Wittenbergie, 1695.
9. Velthem / Valent. / Diff. de Ignorantia
Theologorum laudabili, ianæ 1690
10. — Diff. de Unctione Christi
pro Consortibus suis. 1691.
11. Viccij / frid. / diff. De Aaroniticj
rectoralis Insigñi, Urim atq; B
Tummim. Wittenbergie, 1697.
12. Wagner / Bernh. / Diff. de Vita
Renatorum in Fide, Argentorati, 1708
13. Walther / Chr. / Exercitatio de
duabus Tabulis Lapidicis Moysi
in Monte Sinai datis, Regiomonti, 1679
14. Wandalini / ioh. / Discussio Speci
speciorum de Conversione Iudeorum,
Hagiae, 1708.
15. Weidenerl. Joh. Joach. / Diff. Rationi
suas in Theologia Limites. Definiens
Rostocky, 1721.

16. Werdorff f. Gottlieb, / diff. de
Illuminatione Corduum, Witten-
bergae, 1716.
17. Wiedmanshausen f. Joh. Christoph. /
diff. de Curribus Bellioris, in Oriente
positatis, Wittenbergae, 1723.
18. Wiedmanshausen f. Joh. Frid. / diff.
de Maledictoriis Diei, Wittenber-
gæ, 1712.
19. Wiedmanshausen f. Joh. Christoph. /
diff. de Tiara Summi Sacerdotis,
Wittenbergæ, 1722.
20. —— programma de Lege, Witten-
bergæ, 1722.
21. —— diff. de Columnis Oneis in
portion templi a Salomone
positi, Wittenbergæ, 1714.
22. Zeltner f. Just. Georgij / diff. de Gad
et Meni Iudeorum Hadernorum
Sigr. Altorfi, 1715
23. —— diff. de Subiectione Iesu
Christi gloria, Altorfi, 1715.
24. —— diff. de Horologio Pilati,
Altorfi, 1720.
- a. 25. —— diff. de Christiano presenti,
Altorfi, 1716.

26. — Diff. De Horologio Caiphe,
Allorfi, 1721.
27. — Diff. de Aurora Fidei inter
Rationis Tenebras emergente
Allorfi, 1723.
28. Lentzgras / Joh. Lwach. / Diff. de
Spiritus Sancti Testimonia
interna, Argentorati 1703.
29. — Diff. de Enthusiasmo
Divino et Dia Berlico, Argentorati, 1703



DISPUTATIO THEOLOGICA,
RATIONI SUOS
IN THEOLOGIA

LIMITES DEFINIENS,

DIVINUMque EFFATUM II. Corinth. X, 5.

contra

Cl. Dn. STEPHANUM VITUM

vindicans,

QVAM SUB AUSPICCIIS DIVINIS,

EX SPECIALI INDULTU ET BENEVOLO CONSENSU
SUMME REVERENDÆ FACULTATIS THEOLOGICÆ,

MODERATORE

VIRO MAGNIFICO, SUMME REVERENDO DOMINO,

**DN. JOH. JOACHIMO
WEIDENERO,**

S. S. Theol. D. & Prof. P. Ord. longè Celeberrimo ad D. Mariæ
Ædem Pastore meritissimo, h. t Decano & Seniore Facultatis,

P R Ä S I D E

M. CAR. JOACH. Sibeth/

Marl. Megapol.

H. L. Q. C.

D. xxx. Augusti, Anno MDCCXXI.

defendet RESPONDENS

JOHANNES DANIEL MINUS,

Lubec. S. S. Theol. & Philos. Stud.

ROSTOCHII, Typis NICOLAI SCHWIEGEROVI, Ampliss. Senat. Typogr.

15



Summo, Optimo, Maximo

D E O,

PATRI BENIGNISSIMO,

*Pro infinitis à primo inde vite exordio
sibi cumulatissime concessis beneficiis*

G R A T E S,

*Quas mens, inter mortales, humillima
potest concipere maximas,
acturus,*

E t I P S I U S

Providentiam Paternam, Dire-
ctionem Perpetuam,
Præsidium firmum rogaturus
efflagitaturusque;

ut

Ut &
**DOMINIS PATRONIS, MUSA-
RUM MÆCENATIBUS,**

Præceptoribus, Fautoribus atque Amicis

Omni observantiae pietatisque cultu suspiciendis,
Pro cunctis in se Musasque suas collatis benefi-
ciis, qualemunque animi obærati mo-
numentum facturus,

Iisdem

*Fausta quæque, quæ votis unquam con-
cipi queunt,*

precatur us

Eorumq;

*Patrocinio, Favori atque Amori se totum
traditurus,*

Præsens

Exercitium Academicum

humillime
observantissime
obsequiosissime

offert, dedicat, consecrat

Respondens
JOHANNES DANIEL MINUS.



PRÆFATIO.



T Articulorum fidei orthodoxæ concatenatus est nexus, & indulsa cohæret compages, qua ex fundamentali eoque primario reliqui suo quisque vel intimiori vel remotiori dependent vinculo; Ita nec erroribus sua deest concatenatio & amica falsarum consequentiarum cognatio, vi cuius, uno admisso errore, in plures huic affines hominum animi præcipites aguntur. Operæ igitur omnino pretium est, ut Augiæ hocco purgatus stabulum, attente inquirat περὶ τὸν Φεῦδος, cui reliqua errorum monstra suos debent natales. Præclare de hoc negotio meritus est B. Val. Alberti, in suo Interesse Religionum, ex imis Hereticorum adytis palmarium, quem tanquam Medusæ caput, Palladium atque Ancile nobis obvertunt, errorem studiose & dextre detectum in lucem protrahens. Calvinianis quidem Palladium Absolutam Prædestinationem & Reprobationem cum B. Tauffrero alii, alii cum B. Calovio fatale illud schisma sacramentarium assignant; Acu tamen rem tetigisse omnino mihi videtur sū
præ

pra laudatus B. Val. Alberti l. c. p. 39. omnes eorum errores ultimæ Rationis basi innixos arenaque principiorum Philosophicorum lubricæ superstructos esse, existimans. Cui sororias manus jungit B. Casp. Mauritius in περτῷ Ψεύδει seu primo falso Calvini & Sociorum Exercit. I. Gener. §. I. qui fontem primum generalem, ex quo fluunt errores Calvinianorum, Rationis & Philosophiae abusum indicat, ex eo dogma absolute Prædestinationis, una cum ceteris erroribus necessitate quadam ineluctabili inde dimanantibus, dogma item negatæ idiomaticum in Christo communicationis, denique dogmæ absentis ē cœna Corporis Christi derivans. Non igitur mirandum, quod rationem tantis mactent encomiis, hanc Dianam suam adorent, pingant, incrustent, nuditatem ejus fædam pallient, & quicquid ad auctoritatem Dictaturamque in Theologia ipsi conciliandam quo tandem cunque modo facit, anxie conquirant, hunc genium suum tutelarem mordicus defendantes. Quicquid alii personati ex illorum numero insidiatores, consensu nobiscum fundamentalis pelle ovina induiti, ecclesiam nostram ut per cuniculos adoriantur, clament, se Rationem non minus, ac nos faciamus, Theologiæ sacratis adytis prohibere, nec tanquam principium, sed nudum instrumentum, cui nullæ judicis partes relinquuntur, admittere; Alii tamen cordatores, vel in eo integritatis laude non defraudandi, lingam suam Cananæam & Asdodicam produnt, & divina, que præpostere vocant, Rationis humanae placita tantum non ex ase divinis scripturis adæquant. Horum in censum venit Cl. Dnus. Stephanus Vitus, Scholæ Cassellensis Rector, qui in Dissertatione quadam divinam, ut loquitur, Rationis auctoritatem contra Ψεύδεις loci 2. Cor. X. 5 modestè (Modestia sane Calvinianæ speciosissimum dedit do-

cumentum) vindicatum ivit. Quam cum legerem, & probabilitatis, quæ incautioribus glaucoma objicere posset, speciem quandam præ se ferre animadverterem; Animum statim ad accuratius ejus examen applicui. Enata inde est præsens Dissertation Academica, cuius tamen duas tantum Sectiones priores hac vice in lucem mittere, temporis aliarumque circumstantiarum ratio permisit. Cum enim ingens, qua tempora nostra luxuriantur, Rationalistarum seges, vel ut verius dicam, sentina atque colluvies prohibeat, quo minus Sectio Elenchitica adeo arctis includi queat cancellis; Pagellarum vero, Dissertationi Academicæ sufficientium, numerus sub prelo præter spem excréverit; sat materiæ ad peculiarem Dissertationem conscribendam mibi relictum ratus, in aliam, si Fata mea sic tulerint, occasionem hanc Sectionem distulit. Tu vero BENEVOLE LECTOR! bis, si è re tua fuerint, fruere, & sanâ Ratione, si quæ Tibi censura videantur digna, utere, memor, meliora monentes me sibi semper experturos esse facilem, promptum.



JOVA



JOVA JUVA!



Vem hic refutatum imus,
Cl. Dn. VITUM ut presso sequamur
pede; Vindicias nostras trium Sectio-
num inclusas cancellis sistemus, quarum
Prima Exegetica Lutheri versionem â
Ψευδεμενίᾳ ipsi â Cl. Dno. VITO impaëta vindicabit, te-
lumqve hocce in auctorem retundet. *Secunda Dogmatica*
Sententiam Ecclesiæ Lutheranæ orthodoxam de genui-
no rationis usu & adulterino ejus abusu explicatam da-
bit evictam. *Tertia* denique *Elenchitca* varias Hæreti-
corum aliorumqve rationis limites justo longius profe-
rentium classes perstringet. Sit igitur jam σὺν Θεῷ.

SECTIO I. EXEGETICA.

S. I.

Divinum illud, cuius εἴγησις molimur, Effatum de-
promtum est ex 2. Cor. X., 5. ubi in textu origi-
nali verba sic fluunt: Καὶ αὐχμαλωῖστες πῶν νόμοι
εἰς τὴν ἵστασην τῆς Χειρός.

A

Ver-

Versio :

I. VULGATA:

In captivitatem redigentes omnem intellectum, in obsequium CHRISTI.

II. LUTHERI :

Und nehuuen gesangen alle Bernunft / unter den Gehorsahm Christi.

Cæteris inspectis versionibus cuivis ad oculum patet, πᾶν γένος ab interpretibus mox mentem, mox intellectum, mox cogitationes exponi, à quibus sane non abludit germanica vox: Bernunft / Luthero usurpata.

S. II. Mori recepto satisfacturi generalia quædam circa hoc dictum præmittenda primoribus delibabimus labris. Decerpsumus nempe Oraculum hocce divinum ex posteriori Divi Pauli Epistola ad Corinthios. Paulum ante sui conversiōnem Saulum etiam dictum (1) Epistolæ hujus genuinum esse Auctorem, qui unquam negaverit, nemo occurrit; (2) Indefessus hicce in vinea Domini Operarius, demandatā sibi evangelii Ethnicis prædicandi provinciâ functurus, variis peragratis terris, Corinthum (3) quoque delatus, annum cum semestri ibi degens (4) largam suo ministerio conversorum expertus erat messem, hinc Ephesum, (5) post Hierosolymam contendens, in itinere, dum in Macedonia versabatur, posteriores has ad Corinthios dedit Literas, (6) à Tito perferendas, qui collectas simul eleemosynas Hierosolymam transportandas haberet in promtu.

(1) Notatu dignissima, quæ divus Paulus expertus est, fata peculiari opera confessit, ejusque Biographiam delineavit Hermannus Wittius in Praelectionibus de Vita Pauli Apostoli, quatuordecim Sectionibus absolutis, in quibus de Natalibus Pauli & vita in Iuda-

Judaismo, de Vocatione ejus ad Christianissimum, de Gestis ejus
 1) usque ad Synodum Hierosolymitanum ejusque seqvelis. 2) in
 Macedonia, 3) Athenis 4) Corinthi, 5) Ephesi 6) in itinere
 versus Hierosol. de Vinculis ejus in Iudea, navigatione versus
 Romam, & vinculis ibi toleratis, de ejus Prolographia, do-
 tibus & celibatu, tandemque de scriptis ipsis suppositis agit. Quae
 primum locum occupant inter Meletemata Leidenstia edit. A. 1703.
 In compendium hac redacta vide apud D. Jo. Georg. Pritium in
 Introd. in lectionem N. T. c. 17. p. 187. sqq. Quod nominis mu-
 tationem attinet, agit de ea Wittius Sect. III. S. 14. p. 47. Conti-
 git nempe ea, quod observationem meretur, ad conversionem Sergii
 Pauli Pro-Consulis in Insula Papho, Act. XIII, 9. Quam tamen
 propterea Hieronymus afferit, nominis mutati ratio lusum inge-
 nii videtur sapere, nec cum Ambrosio & Chrysostomo Patribus
 mysteria in hac mutatione, i. e. nodum in scirpo, querere placet.
 Acquiescendum utique censemus in data à Wittio ratione, quod,
 cum Græcis & Romanis auribus Sauli nomen insuetum esset, Pauli
 vero vulgatum, levi mutatione ex Saulo factus fuerit Paulus.
 Quod confirmatur iis, quæ habet Ligthfootus in Hor. Hebr. &
 Talm. in 1. Cor. I, 1. Opp. T. II. p. 883. Vulgare, inquit, erat
 in gente Judaica, ut inter Judæos nomine Judaico nuncuparen-
 tur; ast inter Ethnicos aliò, idque probat exemplis Tabithæ,
 quæ Græcis Dorcas, Thomæ, qvi Græcis Didimus &c. nec non
 testimonii Rabbinicis, conf. quoque Glassius Philol. S. p. 974.
 (2) Evidem Paulinas Epistolas à Cerintho repudiatas esse, disci-
 mus ex Epiphanio, Hæres. 28. referente B. Itiglio de Hæresiarchis
 Sect. I. Cap. 5. S. 3. p. 57. Nec quemquam fugit, quæ de Episto-
 la ad Hebreos in utramque partem olim fuerint ventilata vid.
 Cel. Pritius l. c. c. 4. per tot. p. 24. sqq. Qva Paulo suppositæ
 falso fuerint epistolæ, docet Wittius l. c. Sect. XIV. p. 234. sqq.
 sc. ad Senecam & Laodicenses.

(3) Corinthum disertissimus Romuli nepotum pro Lege Manilia
 lumen totius Græciæ vocat. Erat Achaja caput, Græciæ de-
 cus, inter duo maria, Jonicum & Ægæum, quasi spectaculo ex-
 posita Florus L. II. c. 16. vid. Witsius l. c. Sect. VII. S. I. p. 90.

Memorabilia hujus urbis quoque enarrat Lighfootus l. c. in Observatt. de ipso Corintho. p. 881.

- (4) Act. XVIII, 11. Prima vice tum Paulus Corinthum venerat; Secunda vice Corinthum invisiſſe colligitur ex subscriptione epistola ad Romanos, quam Corintho scriptam variis argumentis probat post Originem Lud. Capellus vid. Wittius l. c. Sect. IX. §. 6. p. 141. seqq. maximè vero confirmatur ex 2. Cor. XII, 14. ubi Paulus se ad eos tertia vice visitandos promittit paratum, bis igitur ante adfuerit necesse est. An vero tertia vice Corinthum adierit? adhuc sub judge lis est. Paulum priori captivitate Romana solutum Corinthum, Troada, Miletum, Colossum aliaque loca petiſſe refert Spanheimius Hist. Eccles. Sect. I. p. 546. Debili tamen hæc niti fundamento, & Baronii, fatentis res Pauli à liberatione ex vinculis usque ad martyrium obscuras esse, ingenuitatem laudandam esse pronuntiat Wittius l. c. Sect. XII pag. 125. seqq.
- (5) Act. XIX. 19. XIX, 1, seqq. Hinc Epheso scriptam esse priorem ad Corinthios Epistolam colligimus ex 1. Cor. XVI, 5. 8. coll. cum Act. XIX, 21. occasionem ipsi præbente schismate inter Corinthios, eorumque ad Paulum literis, in quibus de causa conjugii & cœlibatus eum consuluerunt 1. Cor. VII, 1.
- (6) Consentit subscriptio, Philippis, capite Macedonia scriptas esse, svadet idem qvæ de collectione eleemosynarum memorat Paulus 2. Cor. VIII, 1. seqq. IX. 2. 4. 5. an vero ad Annū Christi sexagesimum cum Jac. Ufforio, aut sexagesimum secundum cum Lud. Capello aut quinqagesimum sextum sint referenda? Non definitio conf. Lighfoot in Chronic. & Ordine Textuum N. Test. Opp. T. II. & D. Pritius l. c. c. 18. p. 211. seqq.

§. III. Hæc si ad animum revocentur, de occasione totoque scopo posterioris hujus ad Corinthios epistolæ judicium ferre in expedito est. Continet enim partim sui defensionem, partim adhortationem ad eleemosynas ritè & liberaliter erogandas. 1) Defendit se contra mendacii vanitatem, causas impediti sui adventus, qvem promiserat, interferendo cap. 1. 2.

2) con-

2) contra vanitatem gloriæ propriæ cap. 3. fidem suam & labores in officio recensens, quorum præmiis cælestibus, se consolatur capp. 4. & 5. 3) defendit se contra hypocrisim c. V. 9. seqq. & ad sui imitationem adhortatur c. VI. 4) defendit epistolam suam priorem paulò, ut qvibusdam videbatur, duriorem & amariorem. c. VII. Jam sequuntur adhortationes ad eleemosynas, partim exemplum Macedonum ipsis commendando & laudando, c. VIII. partim aliis argumentis svadendo & ut ordine omnia instituantur jubendo, c. IX. Tandem immixtis his adhortationibus regreditur Paulus ad sui defensionem contra Obrectatores Pseudo Apostolos aliosque seductores in ultimis 4. capitibus.

§. IV. Decimo igitur hoc capite denuò Paulus Apologiam instituit doctrinæ sua officiique. Quam ut eò penitus intelligamus de Obrectatoribus illis Pauli, eorumque calumniis pauca sunt præmonenda. Larvam iis detrahit Paulus c. XI, 13. Ψευδα ποσόλγι καὶ ἐργάταις δολίες, μεταχειριζόμενος εἰς ἀποτέλεσμα τοις eos nominando. Erant vero sine dubio iidem, quos ψευδαδέλφοις dicit Gal. II, 4. Horum Antesignanum fuisse Cerinthum memorat Epiphanius, ejusque affectas hic à Paulo atro notari Lapillo, quippe in quos falsa dogmata, quorum Paulus Gal. IV, 10. seqq. mentionem facit, optimè quadrant. Nam ut Hieronymus in quadam ad Augustinum epistola testatur, Cerinthus legem evangelio miscuit, & juxta Pseudo Hieronymum, circumcisionem non intermittendam, sabbatha cum diebus festis ritu Judaico celebranda idem probare annis fuit. (1) Horum Pseudapostolorum in numero non immerito fertur Cleobius, de quo Epistola illa, quæ apud Armenos ad Patulum Corinthiorum nomine scripta perhibetur, narrat, Simonem & Cleobium pestifera sua dogmata Corinthi diffuminasse & docuisse, Prophetas non esse legendos, Deum non esse omnipotentem, non esse futuram corporis resurrectionem &c. (2) In primis vero ipsam Pauli Personam convitiis proscindere Pseudo Apostoli non erubescabant, ταπεινού illum despiciunt ha-

bentes, audaciam ejus in epistolis ridentes, παρεσίαν τῷ σώματος ασθενήν, καὶ τὸν λόγον ἐξαθενημένον v. 10. ipsi exprobrant. (3) Contra hos igitur divinam doctrinæ suæ efficaciam omni humanae sapientiæ ac eloquentiæ longè præponderantem urget; Arma enim militiæ suæ non carnalia sed valida esse in Deo ad destruenda hæreticorum munimenta, quibus sophisticas eorum ratioincationes elidere, omnemque superbiam sapientiæ humanae, quæ divinæ infert bellum, subjugare possit, captivam ducens omnem intellecnum sub obsequium Christi.

(1) Hausta sunt hæc ex recensione B. Ittigii de Hæresiarchis ævi Apostolici Sect. I. cap. 5. §. 3. p. 51. de Ebionitis eosdem errores recenset c. VI. p. 64. seq.

(2) Conf. B. Ittigius l. c. Sect. I. c. III. §. 2. p. 42. ubi Cleobii hujus mentionem etiam Hegesippum apud Eusebium & Auctorem Constitutionum Apostolicarum facere indicat.

(3) Chrysostomus alicubi Paulum homuncionem tricubitalem nominat, & Nicephorus Callistus L. II. c. 37. hanc ejus pingit prosopographiam: Paulus autem corpore erat parvo & quasi incurvo & paululum inflexo, facie candida, annosque plures præ se ferente & capite calvo, oculis multa inerat gratia, supercilia deorsum versum vergebant, nasus pulcre inflexus, idemque longior, barba densior & satis promissa. vid. Wittius l. c. Sect. XIII. §. 1. pag. 220. seq.

§. V. Habes hic B. L. συνάφειαν verborum nostrorum cum præcedentibus, ex qua in ipso eorum sensu dijudicando non leve momentum infra desumemus. jam itaque Cl. Domini Viti interpretatio justa examinis lance ponderanda nobis erit. Post longas Criticarum tricarum ambages verba Pauli Cl. Dominus Vitus in hunc detorquet sensum: *Quemadmodum fideles πληροφορίᾳ illa, quam Spiritus S. illuminatio in illorum mentibus excitavit, tantum possunt contra λογισμὸς τὸν ψωμα, ut hec adversariis ad εχεμνθίαν redactis, contra evangelii veritatem nihil valeant; Ita precibus, que πόλυ ιχύσαι Jac. V, 16. id impetrant à Deo, ut non tantum*

tantum non obsint evangelii incremento, quascunque insidias, quascunque machinas admoveat Satanus, sed potius evangelii rationibus & commodis serviant, obtemperentque. (*) Quantam vim coacta hæc, & obtorto quasi collo intrusa ἐμπενεῖ & singulis vocibus & toti contextui inferat, liquido satis constabit, ubi duarum in primis vocum genuinam significationem accuratori venati fuerimus indagine, nempe quid sit: πῶν νόημα? quid sit: αἰχμαλωτίζειν? Adeò enim à simplicitate verborum sensus hic afflictus abhorret, ut ad quemcumque Lectorem audacter provocare sustineam, an unquam hæc phrasis: αἰχμαλωτίζειν πῶν νόημα εἰς τὸν οὐρανὸν τε καὶ τὸν γῆν, in animo ejus præjudiciis vacuo hunc generare possit sensum: insidias & machinationes virulentas Diaboli ita divina Potentia dirigere, ut evangelio non obsint, sed profint ejusque incremento serviant. Sed paulo propius ad rem!

(*) conf. Bibliotheca Historico-Philologico-Theol. Cl. II. Fasc. III. N. 3. ubi hæc Cl. Dn. Stephani Viti Dissertatio legitur inserta, hujus §. XIII. p. 441. illa à nobis allegata verba habet.

§. VI. Quid vox illa: νόημα significet? fuse satis Criticus ille inquirit. Nec quod contra etymologiam ab ipso enucleatam, excipiam, habeo; Rectè enim νόημα δύο τοις νοῖς natales suos derivat; Ast duo inter nos in controversiam veniunt, alterum: an νόημα nunquam per rationem verti reddique possit? & an Lutherus hypothesi suæ servierit, vertendo per Bernunffii aliosque sua Ψευδερμενεῖα adduxerit, ut reliquis vocis νοῆμάς significationibus hanc etiam rationis male addiderint? alterum: an vox νόημα h. l. recte ex mente Spiritus S. verti possit: machinationes, insidiae Diaboli? In his enim quæstionibus Clarissimo Dno Vito ut dicam scribam, ipsa veritas suo jure, suis leibis efflagitat. Ad priorem enim quæstionem Cl. Auctor respondet: Nunquam illos ferre potero, qui νόημα nostrum per rationem reddunt, neque enim unquam evincent, vocem νόημα rationem eo sensu notare, qui in nostracontroversia versatur. Et nimis hypothesi

potestis fūe serviisse mibi Lutherus videtur, cūm nostrum locum reddidit per: und nehmēn gefangen alle Vernunft unter den Gehor-sahm Christi. Si qui igitur Lexicographi adiecere hanc etiam rationis significationem, vel intellexerunt cuiuscunque generis cogitationes, vel ψευδερμένα bujus loci, nulla alia auctoritate adducti, male reliquis vocis significationibus hanc etiam rationis addiderunt. (*) Quodsi itaque evicerimus, vocem νόημα & vi etymologiaz & usū receptissimo denotare rationem; Durum illud, quō B. Lutherum nostrum Cl. Auctor onerat, ψευδερμένας εγκλημα in fu-mum abibit.

(*) in supra citata ejus Dissertatione §. 17. p. 445.

§. VII. Primò igitur ad etymologiam provocans, signifi-cationem τῆ νοῆν, qua intelligere, cognoscere, mente perpen-dere, cogitare, sapere propriè denotat, extra controversiæ aleam ponit apud omnes confido. Hinc vero inficias non ibo, τὸ νόημα à passiva voce oriundum πέπτωσι innuere id, quod intelligitur, cognoscitur & cogitatur, seu objectum illud actus cogitandi & cognoscendi, non tamen quod extra mentem est positum seu emanans, sed intra mentis sinum latens seu immanens, quod ideam vocare liceat, quippe quæ est immediatum illud actus cogitandi objectum intra mentem subsistens. (1) Cūm autem i-dem hocce νόημα à media voce derivare, non abludat à Græcæ linguae genio; AEtivam quoque significationem non omnino respuere, exinde claret. Quidni igitur νόημα eundem actiūm indueret sensum, quem τὸ ὄμηρα (2) τὸ πλῶμα (3) τὸ Θέλημα (4) aliæq; admittunt voces è passiva voce ortum trahentes. πέπτωσι igitur τὰ νόηματα ideas seu cogitationes, (5) quæ per actum cogitandi producuntur à mente, indicant; δεύτερων vero simul pro ipso actu ejusque facultate activa, quam appellamus ratio-nem, accipiuntur.

(1) Sic Recentiores fere omnes definit Ideam vid. Joh. Clerici Logicae C. I. §. 2. & Chauvini Lexicon Philos. sub voce Idea.

(2) ὄμηρα

- (2) ὄμηρα propriè quod videtur seu spectaculum; sed notat quoque oculum II. γ. καὶ χθονὸς ὄμηρα τοῖχος Aristot. Polit. 3. Βέλτιστος δοκεῖς δυοῖς ὄμηροι.
- (3) τὸ πλῆρα significat partim πλῶτον seu lapsum & casum, partim id quod cadit v. g. cadaver, corpus defuncti.
- (4) de voce hac: Θέλημα ipse Cl. Dn. Vitus agit in Dissert. sua §. 5.
- (5) Sic Clemens Alexandr. Strom. VIII. p. 781. inquit: Νόημα εἴνιον ὄμοιώματα καὶ σκιτωπάματα τοπογεμένων & Pachymeres in c. VIII. Dionys. Areop. τὸ νόημα κίνησις ψυχῆς ἐτίῳ αὐτοπόστατο.

S. VIII. Quod ut firmiori adhuc suffulciamus tibicine, ad cognata hujus vocis descendamus; Quorum proximum est ὁ νόημας, quod hunc perpetuo obtinet sensum: intellectu præditum, mentis compotem, Sapientem esse. 1) Quare via cognitionis τὸ νόημα intellectum mentem facultatem cognoscendi subinnuere, prono consequentia alveo fluit. Alterum cognatum est ὁ νόος s. νοής eadem cum nostra voce stirpe satum, Nοής autem illam animæ partem imprimis denotat, quā pure ratiocinatur, indulget contemplationi rerum spiritualium, veritatumque aliarum certitudinem & nexus ex ideis vestigat atque demonstrat. 2) Addi possunt voces: ἔννοια, & διάνοια, ejusdem stemmatis surculi, eademque significatione pollentes, quod anxie conquisitis exemplis adstruere velle, superfluum saperet. Præterea ex collatione locorum parallelorum infra demonstrabimus, τὸ νόην, ἔννοιαν, διάνοιαν, & τὸ νόηματα eodem in sensu adhiberi promiscuè. Ex his proinde concludimus, in ipsa τῷ νόηματος etymologia & in subsidium vocatis ejus cognatis nihil esse, quod impedit, quo minus τὸ νόημα verti possit: Ratio s. die Bernunft.

(1) conf. Loca Scriptura S. Syr. XIX, 16. Prov. I, §. Dan. XII, 10, & Homerus Il. ψ. Od. μ.

(2) Respondet voci Hebraicæ: הַנְּשָׁעֵן; qvæ superiores illas animæ rationalis, facultates inferioribus animæ sensitivæ contradistinctas denotat: Hinc Cel. Vitrunga Obs. S. L. 3. c. 4. p. 533. inquit, hanc partem

animæ, quâ purè ratiocinatur & non affecta à spiritibus, nec occupata sensibus, vocarunt ΗΩΣΙ, quam divinum ignem, λόγον, rationem, mentem animi, νύγι veteres dixerunt, conf. quoque Deylingil Observ. S. P. II. Obs. 3. p. 31. seq.

§. IX. Quodsi porro usum (quippe penes quem est maxima in dijudicandis vocium significatibus auctoritas, verba enim valent sicut nummi) vocis νοημάτος consulamus, Rationis significationem reliquis τε νοημάτος significatibus haud male à Lexicographis additam esse, nullo demonstrabimus negotio. Nec tamen hic opus esset, aliis, quam ipsiusmet Adversarii nostri, armis uti; suo enim se jugulat gladio, ingnue confitendo, statis hanc significationem vocis νοημάτος, quâ ipsam mentem intelligentem s. intellectum norat, Græcis auctoribus familiarem esse, adducitis quoque Sacra S. locis, in quibus vocem νοημα hand facile aliter reddere possit, quam per mentem, quatenus in rerum cognitione versatur. 1) Jam ad æqvum quemcunque Judicem provoco, quid sit mens intelligens seu intellectus? quid sit mens, quatenus in rerum cognitione versatur? nisi ipsa Ratio. Mihi sane ratio accipitur pro nobilissima animæ facultate, res cognoscendi, & dijudicandi; & pari ratione intellectum definio. Apud Auctores quoque latinos notabilioris hujus differentiæ inter rationem, prout hic accipitur, & intellectum ne γρῦ quidem minimumque occurrit vestigium, sed synonymice eadem conjungit & promiscue usurpat Cicero. 2) Germanicæ quoque voces: Vernunft und Verstand adeò harmonice conspirant, ut, nisi tricari & subtiliter ineptire volueris, nihil tanti discriminis, quod Cl. Auctor his vocibus intercedere fingit, ne per febrini quidem aut somnium tibi in mentem venerit. Evidem novum quendam voci rationis significatum Cl. Auctor tribuit, de quo infra in sectione dogmatica dispiciemus; Qui tam ea si vel maximè obtineret inter doctos Philosophos, in communia tamen & vulgari versione, quæ ruditum in primis in gratiam adornatur, attendi prorsus nec potest nec deberet. Lutheri enim verba: Die Vernunft gesangen nehmen / quisquis, non dicam emun-

emunctoris naris, sed idiota, germanicæ modo sit lingua peritus, primo statim intuitu sic intelligit, vocem: die Vernunft notare, den natürlichen menschlichen Verstand/ der die Göttr. Geheimnisse erkennen wil/ seu ut verbis ipsius Adversarii utar, mentem intelligentem seu intellectum, mentem, quatenus solis naturæ viribus instructa in rerum divinarum seu mysteriorum cognitione versatur. Cum igitur Cl. Auctor hanc ipsam significationem calculo suo dignatus, ex quatuor Scripturarum locis 3) demonstrat; Non potest non simul B. Lutheri versioni sub scribere. Quis enim Luthero vitio verteret, qvod vocem νόημα, quæ quoties in N. T. occurrit (unico excepto loco sc. 2. Cor. II, ii.) perpetuè intellectum designat, in hoc quoque dicto questionis sic reddiderit? Sane contradictionia illa Cl. Auctoris verba: νόημα significare mentem & intellectum, quatenus in rerum cognitione versatur, & tamen nunquam per Vernunft/ sine θεοδημένως labore, verti posse, sana ratio, quam tamen ubique crepat Auctor, inter se conciliare nequit.

(1) Vld. Dissert. ejus §§. 6, 7, 8.

(2) De Finibus Bon. & Mal. ubi Stoicorum proposita sententia, omnia ex quatuor rebus constare, questionem, dicit, fuisse ortam, an quinta quædam natura, unde ratio & intellectus oriatur.

(3) Nempe Phil. IV, 7. 2. Cor. III, 14. 2. Cor. IV, 4. c. XI, 3. Quæ loca si quis inspicerit, τὸ νόημα nonnisi pro intellectu sumi facile animadvertet. In primis hos, quorum occasata sunt νόημα & Paulus Ephes. IV, 18. vocat ἐπιποτέμένης τῇ διάνοιᾳ illisque opponit πεφωτισμένης ὁ φαλμὸς τῆς διάνοιας Eph. I, 18. Unde apparet, νόημα hic idem significare, quod διάνοια.

§. X. Ut tamen adhuc clarius elucescat, τὸ νόημα recte verti per rationem, exempla quoque ex versione V. T. græca profanisque Auctoris in medium afferemus. Sic Es. LV, 9. Summum Numen comparatione quadam inter διάνοια suam, hominumque διάνοια instituta, ostendit, intellectum suum humanâ ratione æque superius esse, ac cœlum terrâ. Locus

hic sane apprimè nostrum illustrat, causam addens, cur huma-
num νόμιμα sit incaptivitatem, redigendum, qvia divina δίαισις,
διανόμια humanum infinitis post se parasangis relinquit. Quæ
Paulus 2. Cor. III, 14. repetit verba: ἐπωράθη τὰ νόμιμα αὐτῶν,
desumpta sunt ex Es. VI, 10. Exstat ibi vox ΚΛ & in græco
καρδία, quæ licet sapius voluntatem denotet, hic tamen pro
intellectu sumitur, & ab inter pretibus 70. frequenter mox νόμοι
Exod. VII, 23. Es. 41. 22. mox διάίσις Exod. IX, 21. XXVIII, 3.
Num. XV, 39. Hic vero à Paulo τὰ νόμιμα vertitur, clarissimo
indicio, has voces esse ὑποδυναμένα. È profanis auctoribus præ-
ter ea, quæ Stephanus in Thesauro suo annotavit, ex Fab. L.
8. c. 5. Hesiodum testem producam. 1) Hic namque aureum
illud, de quo fabulam necit, hominum genus cum argenteo
comparans, inquit:

Αργύρεον πόμπαν ὀλύμπια δύματ' ἔχοντες
χρυσέως γέτε Φυὴν ἐναλίγκιον γέτε νόμιμα.

Sicuti hic proceritatem tanquam pulcherrimum corporis do-
num argenteo hominum generi denegat; ita per νόμιμα quoque
excellentissimam animæ facultatem, in qua maxima pulchritu-
dinis ejus pars sita est, rationem nempe indigitat. Eodem
in sensu 2) introducit Herculem cum Jolao sic loquentem:

γενομέθ', γέτε Φυὴν ἐναλίγκιον, γέτε νόμιμα
σός τε πατήρ καὶ ἔγω.

Pari in significatu νόμιμα accipit Damascenus (3) verba externa
vocans αγγελες νομιμatos indices illos & internuncios mentis s.
intellectus, quibus ideas & cogitationes suas aperit & manife-
stat. Ast in meridiano solis jubare facem accensurus videri
possem, si exempla plura ad nauseam cumulare pergerem. Suf-
ficit igitur demonstrasse, qvod & vi etymologiæ & usu rece-
ptissimo νόμοι νόμιμa denotet intellectum seu rationem. Anne
igitur cum sanâ ratione pugnet, eos Φευδεμενέας reos agere,
qui νόμιμa rationem interpretantur? judicet qvisq; à partium
studio alienus rerum æstimator.

(1) In

(1) In ἔγροις καὶ ἱμέραις v. 128.

(2) In Scuto Herculis vers. 88.

(3) De Orthod. Fide L. I. c. 17. Conf. Joh. Casp. Sacerdi Thesaurus
Eccles. sub voce *vōyma*

S. XI. Altera , de qua mihi cum Cl. Dno. Vito , litem
esse supra dixi , qvæstio est : An vox : *vōyma* hoc loco ex men-
te Spiritus S. recte verti possit : machinationes & infidiax Dia-
boli ? Duo iterum hujus qvæstionis membra figillatim sunt
enucleanda , primò , an *vōyma* hic denotet inprimis machinatio-
nes scelestas & infidias ? dein , an hic respiciat Paulus ad machi-
nationes & infidias diaboli ? Priori enim concesso , posterius ta-
men hoc ipso nondum evictum . Ad prius respondet Cl. Dn.
Vitus : Maxime vero hoc loco illa vocis *vōymat* significatio obser-
vanda videtur , quā infidias , machinationes , fraudulentia & cum
aliorum interitu vel damno conjuncta consilia notat . 1) Muitus in eo
est Cl. Auctor , ut exempla ex profanis Auctoriibus hausta cu-
mulando probet , τὸ *vōyma* denotare machinationes violentas ,
infidias , scelesta consilia . Hic igitur in memoriam revocan-
dum est , qvod supra diximus , τὸ *vōyma* πεντώς denotare id , qvod
cogitatur , seu ideas & cogitationes ; Quem significatum reli-
quæ freqventiorum apud Auctores græcos prædominari , pro-
batu facillimum esset , si aëtum agere placeret . 2) Consilia
vero scelesta , violenta & fraudulentia , qvoad mente volun-
tur , cum ipsæ sint cogitationes ; ambabus fane , qvod ajunt ,
ulnis Cl. Auctori largior , *vōyma* esse consilia ; Verum enim
vero quod consilia scelesta , violenta , fraudulentia denotent ,
hoc non ex nativo & proprio vocis *vōymat* valore est , sed ex
materiæ , ad quam applicatur , indole . Vox *vōyma* generaliter
significat cogitationes , cuiuscunque demum sint farinæ , s. malæ
seu bonæ , seu in aliorum utilitatem seu damnum & interi-
tum vergant ; Quando autem & antecedentia & consequentia ,
& ipsa res , de qua sermo est , & epitheta adjecta satis clare in-
nuunt , intelligendas esse cogitationes violentas in aliorum
interitum tendentes ; Nondum tamen exinde peculiaris qvæ-
dam

dam vocis *vōματος* significatio est exculpanda, sed hoc habet ex generali suo ambitu, quo quævis cogitationum genera com plectitur. Omnia igitur ab Auctore adducta loca quoad *συνάρθεται* textus, epitheta adjecta reiqve narratæ in dolem penitiū perpendens, nullo animadvertis negotio, *vōματα* ibi retinere generalem suam significationem cogitationum, quod verè his adharet fraudis & violentiæ, non ex voce, sed ex materia & subjecti, de quo usurpatur, natura unicè fluere. Sic v.g. quando 2. Cor. II, 11. Paulus mentionem *vōματων τῶν σταταῖ* facit, ipsa subjecti perditissimi in doles corruptissima fadet, malas & in fidelium persecutio[n]es tendentes cogitationes intelligi; talia enim sunt prædicata, qualia permittuntur esse à suis subjectis. De reliquis idem esto judicium. Fallitur itaque Cl. Auctor, dum, qui voci dēmum in contextu annascitur, sensum ei etiam extra contextum tanquam proprium & nativum, in aliis quoque locis applicandum, tribuit. Cum vero in loco *κριπομένῳ* nullum ex contextu indicium violentorum ejusmodi consiliorum, quibus externa vi religio Christiana pessum detur, & præceps in ruinam agatur, appareat; sed potius Paulus generaliter *τῶν vōματων* in captivitatem redigendum jubeat; Quid igitur esset causæ, significationem vocis *vōματος* generalem ita ad violentia illa consilia coarctandi. Nec tamen hæc ipsa violenta consilia & machinationes contra religionem Christianam prorsus hic volumus exclusas; Sed hi ipsi quoque sunt venenati foetus & effectus maleferientiæ rationis, quæ veritati cœlesti inima, primū quasi per cuniculos, insidias, subtiliter excogitatis sophismatibus, paralogismis, fallaciis & argumentis ex curta suæ scientiæ suppellectile mutuatis eam appetit, aggreditur, arietare laborat; tandem in furorem verfa eò prolabitur vesaniæ, ut violentis consiliis & aperta vi Christianismi mysteria eat oppugnatum. Qvod si sic sceleras cogitationes Clarissimus Auctor explicaverit; Nec B. Lutherum, nec nos sibi adversarios, sed ὄμοιψις experietur; Omnia enim hæc unicâ voce: Vernunft complectimur, prout infra fusius ostendemus.

1) vid.

(1) vid. Auct. Dissert. §. 9. Eandem jam ante inflarunt tibiam Eduardus Leigh in Critica S. N. T. sub voce *vōypa*, & Sickerus l.c.

(2) Tali in significatu sumitur *vōypa* Bar. II, 8 4. Est. II, 1. V, 2I. IX, 39. XIV, 14. XV, 3. XVI. 55. Sic apud Homerum pafsim ἐπιλέγει seu πλευτῶν τὰ *vōypa*, i. e. cogitata perficere, in actum deducere.

§. XII. Superest posterius quæstionis nostræ membrum: An in hoc loco Paulus respiciat ad machinationes & infidias diaboli? Cujus affirmativam tuetur Cl. Dominus Vitus (*). Non prorsus ex hoc loco exulare jussimus significationem illam *vōypa*®, qua infidias & consilia fraudulenta notat, ast sine præjudicio alterius significatus, quo intellectum seu rationem designat; Ex his vero concessis nulla prorsus valet consequentia ad infidias & machinationes Satanæ. Hujus enim ne verbulo quidem mentio injicitur in loco nostro; sed potius ad Pseudo-Apostolos digitum intendit Paulus; Nec ultum Cl. Auctor fundatum adducit, quo motus πᾶν *vōypa* ad diaboli infidias & persecutions trahat. Rejecta enim sententia Castellionis, Cocceji aliorumque, qui *vōypa* per mentem intelligentem expnnunt; (jure (*) an injuria? mox videbimus) Nullam aliam interpretationis sua reddit rationem, quam hanc: *Pace igitur differentium hujus Pauline phraseos sensus ex eo maxime definiendus mihi videtur, quô πᾶν *vōypa*, πᾶν κέρδος, πάντες δόκοις &c. instituta atque suscepta contra Evangelii doctrinam notare potest.* Lubricum sane & elumbe fundamentum: mihi videtur. Quid est, nisi hæc, id est θηλυτος, quam Petrus prohibet 2. Pet. I, 20. Si enim vel maximè concederemus *vōypa* significationem, quam Auctor venditat, Græcis auctoribus familiarem esse; Num propterea illa in hoc statim loco est adoptanda? Firmioribus sane argumentis opus erat Cl. Auctori, ut hoc evinceret, quam, quod πᾶν *vōypa* consilia violenta contra evangelii doctrinam instituta denotare potest; nam à posse ad esse non vallet consequentia. Non enim queritur: an *vōypa* extra contextum hunc in aliis locis significare queat scelestia consilia? Sed

an

an illa significatio hoc in loco quoad antecedentia & consequentia ritè considerato locum habeat? Id quod negamus, ne^c ullo haetenus idoneo argumento à Cl. Auctore demonstratum est.

(*) vid. Auct. Dissert. §. 13.

§. XIII. Cum itaque favente & etymologia & usu receptissimo, in primis in toto N. T. νόμος intellec^tum seu rationem denotet; Nihil sane est, quod nos à versione B. Lutheri vel latum ungvem discedere commoveat; sed ei potius textus συνάρχειν patrocinari, firmiter adhuc dabimus evictum. Tota Divi Pauli disputatio Pseudo-Apostolos ferit, prout jam supra §. 4. ostensum est. His itaque personæ suæ tenuitatem spernentibus, doctrinæ suæ, quo illos vincat, pondus & momentum opponit; Divina nempe & spiritualia arma sua esse gloriatur, quæ verba lucem fænerari quam maximè possunt ex 1. Cor. II, 3. 4. καὶ ἐγώ εἰς αὐτὸν εἶχα τὸν Φόβον καὶ εἰς τὸν πολλὰ ἐγενόμενην πόσον ὑπᾶς, καὶ ὁ λόγος μή καὶ τὸ μῆρυμα μή γε εἰς των δοκιμῶντος αὐτῷ φίδιος λόγοις (hæc sunt ὄπλα σαρκικὰ) αὐτὸν εἰς διπλεῖς πνεύματος καὶ δυνάμεως. (hæc sunt ὄπλα πνευματικα). Huic διπλοῦ πνεύματος argumentis nempe è Sacra S. & revelatione Spiritus S. petitis tantum inesse dicit robur, δινατέ τῷ Θεῷ Rom. I, 16. ut possit refutare, refellere omnes objections Pseudo-Apostolorum, h. e. παθάρους ὄχυράματα nempe δίνατον ἔναν, τὰς αὐτούς τοὺς παθάρους, μάλιστα τὰς εἰς τοὺς ματιολόγους, ἐλέγχειν καὶ θίτιοις εἰν. Tit. I, 9. 10. II. 2. Tim. III, 16. Hi namque seductores leges leviticas & ceremonias Mosaicas ceu ὄχυράματα libertati Christianæ opponebant, quas tamen nebulas evangelii lumine facile discutiebat Paulus, sicut contra Pseudo Apostolos pugnabat gladio Spiritus, verbo nempe domini, & λογισμοῖς fallas eorum suppitationes, quibus juxta normam ceremoniam V. T. calculum quoque & rationem N. Tti. inibant, reddebat irritas & vanas, ostendendo nempe ex Scriptura S. differentiam inter umbram Veteris & corpus ipsum Novi Testamenti

menti. Sed præter hos PseudoApostolos ex circumcitione cum aliis adhuc hæreticorum larvis Apostolo colluictandum erat, quibus ὑψωμα ἐπαιρόμενον κτ̄ τῆς γνώσεως τῷ Θεῷ tribuit; Gnosticos hic innui, à scopo Pauli non abludere mihi videtur. (1) Horum ὑψωμα, (2) elatum superbia ampulloſa scientiæ animum, humili crucis Christi prædicatione frangi & ad humilitatem & simplicitatem in Christo deprimi posse inquit. Jam porro πᾶν νόμοια iisdem spiritualibus armis scil. divina divini verbi virtute in captivitatem redigi addit. Qvæ ultima verba cum adeò indivulſo ejusdem constructionis participialis nexu cum antecedentibus coalescant; non alium quoque, quam priora, sensum spirant. Divus nempe Paulus quasi per scalas eundo seductoribus tribuit ὀχυρώματα, λογισμοὺς, ὑψωμα ἐπαιρόμενον κτ̄ τῆς γνώσεως τῷ Θεῷ; omnem hunc cacoëthen una quasi Pandoræ pyxide includit in voce: πᾶν νόμοια, h. e. qvicquid præter has Hæreticorum μεθοδίας τῆς τάλαντης corrupta ratio, quam ψυχικὸν σύνθρωπον 1. Cor. II, 14. & νῦν τῆς σοφίας Col. II, 18. vocat, contra Christianismi mysteria excogitare & effutire valet, omne id ἀποδεῖξαι πνεύματα ita vincimus, ut ogganiens ratio redigatur ad silentium, cum interna conscientiæ suæ convictione ne hiscere contra audeat, sed armis futilium objectionum abjetis, ad fidem Christo in simplicitate habendam se totam, quanta quanta est, subjiciat. In signe hujus victoriæ documentum præbuit Sancti Stephani cum Libertinis Disputatio hoc clausa epiphonemate: εἰς ἵχον αὐλισῆναι τῇ σοφίᾳ καὶ τῷ πνεύματι, φέλαλε. Act. VI, 10. Nec immerito huc traxeris decantatissimum illud exemplum acuti Philosophi in Concilio Nicæno à Laico convicti, ut confiteri tandem necesse haberet; Quamdiu verbis contendebamus, verba verbis opposui, & objecta dicens arte refelli; sed ubi pro verbis divina virtus ex ore dicentis prodidit, non potuerunt amplius verba virtuti resistere, nec homo adversari Deo voluit. Hoc itaque pacto Philosophus illuminatus & Christianus factus, se victum esse à Sene gratulabatur. (3) Sic itaque ex arctissima Paulinorum verborum connexione & scopo in aprico collocatur,

locatur, τὸ νόμονα hic rectissimè per: Vernuntst reddendum omnino esse.

- (1) Gnostici enim suam γνῶσιν ubique crepabant, & propter excellētiā γνῶσεως sī se appellatos esse vel appellari debuisse gloria-bantur Augustinus de Hæres. c. VI. & jactanter satis γνῶσην suam contra veram in Scriptura revelatam γνῶσιν τὴν Θεοῦ efferebant, ἀ σετίγνυτε ή θεῖα γραφή πολὺ δὲ Θεός ημῶν απεκάλυψε venditabant, teste Theodoreto in 1. Tim. VI, 2. T. III. Opp. p. 490. Hanc eorum superbientem & revelatione scriptā altius evolantem γνῶσιν apprimē Paulus vocat ψευδόνυμον κατῆντος γνῶσεως τὴν Θεοῦ. Num vero Paulus h. l. ad Gnosticos respiciat? dubium videri posset, ex eo causa capite, quia sub Aniceti demum Pontificatu, sequiori post Paulum seculo, Gnosticos Romæ exortos esse tradit Epiphanius Hæres. 27. Sect. 6. Ast Gnosticorum nomen non unam, sed multarum hæresium, quas decem numerat Epiphanius, colluviem complecti, inter omnes constat. Hinc si vel maximē denominatio peculiaris Gnosticorum aeo Pauli sit recentior, existiterunt tamen Hæretici se propter insigniorem γνῶσιν reliquis preferentes, quos à Simone Mago Irenæus L. I. de Hæres. c. 33. & à Nicolao Theophylactus l. c. descendisse memorant. Paulum quoque per ψευδόνυμον γνῶσιν 1. Tim. VI, 20. Gnosticorum pungere deliria putant & Chrysostomus & Theodoreetus, qui aperiē dicit: opinor Paulum hæc dicere de iis, qui tum nominabantur Gnostici, qui omni impuritate repleti erant, ideoque profanas nominavit vocum inanitates. Horum autem hæresi præfuit Nicolaus. In excessu tamen peccare videtur Henricus Hammondus in īn Dissertat. procemiali de Juribus Episcopatus, ubi plurima ferme loca in epistolis Pauli, Johannis ejusque Apocalypsi Gnosticos tangere existimat: conf. B. Itigius l. c. Sect. II. c. IX. p. 163. it. B. Colbergius de Origine & progressu Hæres. c. II. p. 48. seqq.
- (2) Ptolomæus vocat ψευδόνυμον Planetarum illud signum, in quo Planetæ quasi lætantur, eorumque μετένομα signum contrarium, in quo tanquam dejecti sine auctoritate moerentes sordescunt. Vult igitur

Igitur Paulus, ὑψωμα clatae γνώσεως fieri πατείνωμα i.e. de-
jici de gradu atque humilitè abjici, observante Strigelio ex recen-
sione Poli in Synopsi Critic. ad h. l.

(1) vid. Joh. Christoph. Jauchii, nunc Luneburgensium Praefulis Vi-
gilantissimi Dissertatio de Laico Confessore A. 1695. Rostoch, ha-
bit. S. 3. p. 4.

§. XIV. Nondum tamen vocem νόηματος absque obser-
vatione quadam relinqvere possum; Sed mente illam volvens
atque revolvens, revocor in memoriam τῶν νοητῶν Platonico-
rum. Τὰ νοητά apud Platonicos utramque facere paginam, ali-
bi jam fusius ostendimus; Erant nempe νοητά superiores illæ es-
sentia spirituales, invisibiles & æternæ, ē qvarum contempla-
tione inferiores νοεροὶ vitam trahebant; νοητὰ erant τροφὴ τῶν
νοερῶν, Paradisus & pratum veritatis, in quo pascebantur ani-
mæ hominum. Hinc toties totiesque ad hanc τῶν νοητῶν con-
templationem suos adhortabantur Platonici. In hac contem-
platione summam animæ corporis compedibus vincitæ liberta-
tem collocabant. Alis, qvas amiserat, recuperatis animam
materiæ vinculis solutam sursum extollendam ad illam νόησιν
τῶν νοητῶν. (1) Nōημα igitur cum haud infrequentè, ut supra pro-
batum, pro ipso νοῆσαι activè sumatur; Cui non in mentem ve-
niret, Paulum hic per νόημα alludere ad illam Platonicam νόησιν
seu contemplationem τῶν νοητῶν. Evangelii divina virtute de-
strui dixerat ὥχυράματα καὶ λογισμὸς Pseudo - Apostolorum ex
circumcisione, τῶν ὑψωμα Gnosticorum, apprimè jam huc qua-
drat τῶν νόημα seu τάσσα νόησις Platonicorum. Jam Apostoli
Pauli tempore multos Pseudo-Christianos Platonicorum deli-
riis captos & infectos fuisse, haud spernenda alibi leguntur
vestigia. (2) Eleganter sane Paulus huic νοῆσαli seu νοῆσαι τῶν
νοητῶν Platonicis familiari opponit *captivationem* fidei. Platonici
summam animæ libertatem venditabant, ubi illa avis instar
alas suas ad hoc τῆς ἀληθεῖας πεδίον καὶ λειμῶνα direxerit atque

contenderit; Ast falso jaētatam hanc libertatem redarguit Paulus, & omnem potius divinarum rerum contemplationem cancellis fidei ita vult coēcendam esse, ne audeat εμελανεύειν, & μη εἰσέγενει. Col. II, 28. (3) Et sicuti avi in captivitatem redactæ alæ vel præscinduntur vel ita vinculis constringuntur, ne possit volare; Ita Platonicas animæ alas, quibus ad γόνοιν τῶν νομπάτων tendebat, legibus obedientiæ Christi sic constringi & confringi, ut iis, qvæ in Scriptura Sacra reveleta erant, contenta acqvisceret, nec ultra, quam scriptum est, saperet, ne dædalicis illis alis divinæ veritatis radiis in nihilum redactis I. Cor. I, 27, 28. funestum Icari experiretur casum. Quæ licet haud fculneo niti videantur talo; Non tamen mordicus ea defendere tanquam indubitato vera, animus est; sed saltem probabilem nec omnino incongruam allusionem, qvam, quibus αἰσθητέα γεγυμασμένα sunt, accuratius exāminent, adducimus.

(1) Conf. si placet, Disputatio nostra de Ideis Platonicis, ubi fusæ de his νοητοῖς actum est.

(2) Consuli hic possunt, qvæ annotavit Joh. Clericus in Comment. in Evang. Joh. ad C. I. de voce λόγῳ, acriter defensa in Epistolis Criticis VII. & VIII. p. 177. seqq. ut nihil dicam de Cerinthianis, Valentianis &c. qvos ē Platonicorum putidis lacunis sua irrigasse arva ex Colbergio de Origine & Progressu Hæresium liqido innotescit.

(4) Conf. D. Joh. Georg. Neumannii Disp. de Palma ab Angelicis non intervertenda. it. D. Dav. Henr. Kœpkenii Programma in Festo Michaelis, 1710.

§. XV. Satis sic, ut confidimus, explicata voce νοητοῖς, cum Cl. Domino Vito ad enucleationem vocis αἰχμαλωτίζειν pedem promovemus. Fingit hic denuo Cl. Auctor differentiam quandam inter captum & constrictum tenere, & more triumphantium captivum ducere. (1) Ast cui bono hæc inutilis subtilitas? cū eodem recidat sensus; Qui enim more triumphantium hostem captivum dicit, sâne etiam captum & constrictum tenet, nec istud finè hoc fieri potest. Quid igitur hæc

hâc distinctione sibi velit Cl. Auctor, haud facile mihi subolet. Verum enim vero αἰχμαλωτίζειν propriè neque captum & constrictum tenere, neque captivum in triumpho ducere significat, sed potius vi capere & in captivitatem redigere, quippe qui actus præcedat necesse est τῷ constrictum tenere & captivum ducere. Descendit enim ἀπὸ τῆς αἰχμῆς, mucro & cuspis gladii vel hæste & αἱσθενεῖ capere, hinc αἰχμαλωτίζειν est gladio I. armis capere seu bello captum iu servitatem abducere. (2) αἰχμαλωτίζειν dicitur, cum ita quis capit, ut nequeat re-luctari, nec capienti obſistere, obſervante Sclatero. (3)

(1) Vid. Auct. Dissert. §. 15.

(2) Vid. Ed. Leigh in Critica Sacra Novi Testamenti, sub voce: αἰχμαλωτίζειν.

(3) Conf. Poli Synopsis Criticorum ad h. l.

§. XVI. Singula verba cùm hactenus à nobis evoluta sint; Jam de totius phrasis sensu erimus solliciti. Audiamus igitur, quæ in hunc locum præstantiores Exegetæ sunt commentati. E Nostris B. Frider. Balduinus. (1) Pauli verba sic παρα-Φερέται: *In tali enim militia versor ut bonus miles Christi, in qua non externis quibusdam armis opus habeo, sed internâ virtute spiritus Dei, ad deſtruenda ea, quæ fe opponunt Deo, qualis est rationis humanae sapientia in mysteriis divinis, & exterrnum robur, opes & divitiae hominum potentium, ex quibus omnibus tanquam munitiōnibus quibusdam impugnantur mysteria Dei, ad quas deſtruendas mi-nisterium meum efficacissimum est ex virtute Dei, in quo rationem extra cancellos suos vagantem coērceo, & Scripturis convinco, ut Chriſto per Scripturas loquenti fe submitat.* Cum qua paraphrasi amicè conspirat B. Egidii Hunnii ἐξηγητις: (2) Νομιμa est eminentissimæ facultatis animæ, vel mentis εὐέργησις & cognitionem signi-ſicat, non vero quam libet, sed ingeniosissimè conceptam, suisque rationibus ita firmatam, ut stare videatur immota, & eversura pute-tur articolos Christianæ fidei, nullis eiusmodi rationibus humane sa-pientie superstrutos. Id omne νόμιμa non modo vinci & in ordinem

redigi, sed plane sub jugum obedientia Christi captivari per concionem
 ab Apostolis mundo propositam demonstrat. Quod eorum patet exem-
 plo, qui, spredo arque domito superbae rationis iudicio, nomen dede-
 runt huic doctrina Apostolicae, quantumvis ea coram mundo stulta vi-
 deatur & absurda. Nec male huic loco lucem affundit Corne-
 lius à lapide. (3) Per hoc, quod dicit: omnem cogitationem seu
 omnem intellectum, non significare vult, omnes Philosophos, sapientes, po-
 tentes, qui Apostolorum predicationem audiverunt, fuisse conversos;
 Sed quod arma Apostolorum fuerint tam potentia, ut quasvis cogita-
 tiones & rationes naturalis intellectus, quantumvis artificiosas, quan-
 tumvis sublimes fidei Christi subjecere potuerint in illis, qui bac arma
 excepérunt, & in cor ac mentem admisérunt, quique ius conversi sunt.
 Est ergo commoda acceptio, omnem intellectum, i. e. quemlibet intel-
 lectum eorum, qui ex Gentilismo ad Christianismum traducti, ex in-
 fidelibus fideles facti sunt. Multi enim sapientes armis Apostolorum
 captivati credidere, quales fuere Dionysius Areopagita, Clemens Ro-
 manus, Paulus ProConsul, Justinus Philosophus, Athenagoras, aliisque.
 Omnium vero lubentissime Cl. Auctori opponimus dexteriam Joh. Calvini interpretationem hujus loci, sic enim ille:
 (4) Superius propriè de conflitu spiritualium armorum cum impedi-
 mentis, qua adversus evangelium Christi infesta insurgunt, locutum
 fuisse existimo; Nunc vero de ordinaria preparatione, quā homines
 ad obedientiam Christi adducendi sunt. Quemdiu enim acquiesci-
 mus in proprio sensu & nobis sapimus, procul absumus ab omni accessu
 ad doctrinam Christi. Quare hinc faciendum est exordium, ut, qui
 sapiens est, stultus fiat, h. e propria incelligentia nos abdicemus, re-
 nunciemus carnis prudentia atque ita vacuas mentes afferamus Christo,
 ut eas impleat. Notanda autem locutio, quod dixit captivam se du-
 cere omnem cogitationem, perinde enim valeat, ac si dixisset, conti-
 nendam & frenandam esse libertatem ingenii humani, ne quid extra
 doctrinam Christi sapiat; deinde non aliter coerceri posse ejus audaci-
 am, nisi velut captivum teneatur. Hoc autem fit ductu Spiritus S.
 ut se in ordinem redigi sustineat, & maneat in captitate voluntaria.
 Hujus vestigia legit Johannes Macovius. (5) Humana
 inquit, ratio, quando de rebus fidei agitur, compescenda est & capti-
 vanda

vanda; Facultatum agentium autem captivitas est operationis cohibito. Captus dicitur oculus, cuius visus ἐνέπεια & actus secundus intercipitur. Ita ratio humana captivatur, quando judicium, quod ipsa in fidei negotio sibi arrogat, improbat, utque ab eo desistat, magis vero, ut se superiori Judicio submittat, pareatque, & ad modum captivi & ligati ad illius nutum & voluntatem se patiatur dici, b. e. sua dicta sic limitet, ut Theologie se non opponat, jubetur. Tali captivitas præcipitur generaliter Prov. III, 5. c. XIV, 12. specia-
liter vero 2. Cor. X, 4. 5. Hanc ingenuam duorum Ecclesiæ Re-
formatæ Antesignanorum confessionem utinam! Cl. Dominus
Vitus maturiori penitusset judicio; Non sâne sic in B Luthe-
rum debachatus, Ψευδεμενεῖας aliorumque conyitiorum (6)
macula eum aspersisset.

- (1) in Commentario suo in omnes Epistolas Paulinas ad h. l. p. 701.
edit. à D. Joh. Oleario Francof. 1654.
- (2) in Commentario in h. l. qui habetur in T. IV. Opp. Latin. edit.
Francof. Anno 1606.
- (3) in Commentario ad h. l.
- (4) in Commentario suo in Epist. Pauli edit. Genev. 1600. ad h. l.
- (5) in Colleg. VI. Miscell. Qvæst. p. 544. ubi contra Socinianos di-
sputat, rationemque in mysteriis non admittendam 6to, argu-
mento hoc probat.

§. XVII. Quos hactenus adduximus, Interpretes haud infimi subsellii sententiam nostram de dicto hocce Paulino ap-
primè declarant atque illustrant; Jam quoque eos, qui in ex-
plicatione hujus dicti in diversa abeunt, consulamus. Johannes Casp. Sickerus (1) aliam, non tamen à nostra longè remo-
tam ingreditur viam; Sunt, inquit, qui existimant, si nobis in
Scriptura S. quedam videantur αὐτοῦσα vel rationi nostra contrarie
ac δυσρόησα, tum bac Apostoli verba nostris occinenda esse cogitationi-
bus, easque reprimendas & coercendas; Id vero si voluisset Apostolus,
monuissest utique, ut quisque suas ipsius cogitationes in captivitatem re-
digat; At scriptis, se cæterosque Apostolos in captivitatem redigisse
non

non suas, sed aliorum cogitationes, i.e. se juosque Collegas prædicatione evangelii efficere, ut cogitationes bominum, quæ à Deo rebusque divinis antea prorsus alienæ erant, subjungentur, ne amplius repugnant, b.e. ut homines convertantur & ex infidelibus fideles fiant. Ast, quod hic Cel. Sviscerus movet, dubium facile evanescet. Subjugatio enim rationis seu cogitationum humanarum antea à Deo rebusque Divinis alienarum cùm hic ex ipsa Svisceri concessione sit intelligenda, Paulo, Apostolis, omnibusque verbi divini præconibus ministerialiter adscribitur, nihilominus tamen ab omnibus fidelibus requiritur, ut hanc ipsam efficaciam verbi divini prædicationis admittant, sicutque virtute hac divina & Spiritus S. gratia per verbi Præcones operante, rationem suam immorigeram subjungent, ne amplius repugnet. Eò ipso igitur, quo Paulus evangeli prædicatione efficiebat, ut cogitationes hominum à Deo haec tenus alienæ subjugarentur; Simul idem postulabat, ut auditores sui hunc effectum in se produci paterentur. Sic v.g. Qvando Apostoli evangeli prædicatione homines dicuntur convertere, numne simul ipsi homines viribus gratiæ se convertere debent? Quando Apostoli efficiunt, ut ex infidelibus fiant fideles, numne hoc fit monendo, ut homines credant? Pari ratione quando Apostoli divinæ verbi potentia efficiunt, ut ratio subjugetur, ne amplius repugnet, latet simul adhortatio, ut omnes rationem suam patientur subjugari, seu quod idem est, viribus à Spiritu S. per verbum acceptis rationem suam subjugent. Quod vero Sviscerus addit, Apostolos non suas, sed aliorum cogitationes in captivitatem redigere; In eo fallitur, ipsi Apostoli sane suam etiam rationem in captivitatem redegerant, Christum crucifixum, qui rationi naturali obsofidam servi formam offendiculum erat atque stultitia, pro Messia fide suscipiendo conf. Matth. XXI, 2. 3. 6. idem Paulus exemplo suo probat Gal. I, 16. Optimè perspexit objectionis hujus infirmitatem Svisceri in religione focius Joh. Vorstius, (z) eam sic rejiciens: *Apostolus dicit, se care rosque Apostolos in captivitatem redegisse non suas, sed aliorum cogitationes.* Verum tamen alter ille verborum usus non omnino est inconcim-

concius, ut scilicet dicatur, si qua nobis in rebus divinis absurdia videantur, neque ea intelligere queamus, non esse cogitationibus illis indulgendum, sed illico eas esse reprimendas.

(1) In Thesauro suo Ecclesiastico sub voce: *αἰχμαλωσία*.

(2) de Hebr. l. Stylo N. Testam. Part. I. p. 391.

S. XIX. Cocceji atque Castellionis de dicto hoc Paulino sententiam ipse Cl. Dominus Vitus sub examen vocat. Non quidem mihi horum Commentarios inspiciendi data fuit copia; ex recensione tamen Cl. Auctoris hunc dicto nostro sensum induit: *Evangelii doctrinam, si veritatem ejus potentissima Spiritus Sancti virtute excita: a mens perspiciat, tantum posse in mentem, ut vel invita cogatur assentiri.* *Quemadmodum enim latinis, argumentis capere, cogere, trahere aliquem in sententiam, dicitur; ita Gracis αἰχμαλωτίαν idem atque convincere significare.* Quæ explicatio si de gratia illa irresistibili, quam alias tuentur Caluiniani, capiatur; omnino facio cum Cl. Auctore, violentam ejusmodi convictionem duriorem esse, quam ut evangelio convenire possit; Ast si vox hæc αἰχμαλωτίαν de gratia ordinaria, quam nos Lutherani docemus, eaque sfaviter, licet non sine lucta & renitentia carnis, convincente sumatur; nullus hic coactio- ni relinquitur locus, ut quæ minus duri &, qvod libertati veræ repugnet, habeat, quam phrasis illa: *Servum esse justitiæ Rom. VI, 16, 19.* Hinc eleganter Theophylactus in hunc locum: *Quia captivitatis vocabulum grave est, addit: ad obsequium Christi, b. e. ad servitutem ejus, redigimus omni libertate pretiosiorem, ab interitu ad salutem, à morte ad vitam, subjiciendo eos Christo.*

(*) vid. ejus Dissert. §. XII.

S. XIX. Restat tandem, ut Cl. Dni. Viti interpretationem altiori perscrutemur indagine. Quæ cum §. §. à nobis jam sit adducta, hic eam repetere supersedemus. Præter ea, quæ circa significationem vocis *νομιμα* fuse satis monita sunt, tria adhuc momenta in hac *εξηγήσει* censuram merentur. Pri-

mum est, quod $\tau\delta\alpha\chi\mu\alpha\lambda\omega\pi\zeta\epsilon\nu$ referat ad omnes fideles, quippe qui precibus suis de satanæ machinationibus triumphent; cum tamen Apostolus Paulus, omnium Interpretum consensu & svadente contextu, tantum de se & reliquis Apostolis Collegis suis loquatur; quare $\tau\epsilon\gamma\theta\epsilon\alpha$ de qua hic sermo est, non prorsus coincidit cum illa, quæ omnibus Christianis contra hostes spirituales, carnem mundum atque satanam est subeunda, de qua agit Ephes. V. 10. 11. 12. sqq. 1. Tim. VI. 12. (1) Sed hæc $\tau\epsilon\gamma\theta\epsilon\alpha$ est pars officii ministerialis, solis Apostolis ejusque in Ministerio Verbi successoribus propria, ἔλεγχος nempe contra hæreticos, ad quem Episcopum in primis aptum atque idoneum requirit Tit. I. 9. Alterum, quod in explicatione Cl. Auctoris non sine obelo dimittere possumus, est, quod infarciat textui: *fideles precibus suis, quæ multum iox̄or, id impetrare à Deo, ut insidia non obsint sed profine evangelio.* Quamvis inter arma militiæ Christianis omnibus coiunis non ultimum preces occupent locum; (2) Arma tamen hujus militiæ Apostolis & verbis præconibus propriæ, quæ versu 4. memorat Paulus, licet non omnino excluant preces, πεντας tamen non sunt preces, sed διπέδειξις των μάρτυρων nempe: argumenta ē verbo DEI petita, & oracula Prophetarum, quibus convincuntur adversarii, exemplo Apollinis Act. XIIIX. 28. conf. 2. Tim. III. 16. Tertium denique monendum est circa phrasin $\alpha\chi\mu\alpha\lambda\omega\pi\zeta\epsilon\nu$ εἰς τὸ αὐτὸν τὸ χριστόν, quam Cl. Auctor sic explicat: fideles impetrant à DEO, ut insidia & machinationes Satanæ non obsint evangelio, sed potius evangelii rationibus & commodis serviant, obtemperentque. Posito enim sed non concessso, quod phrasis: $\alpha\chi\mu\alpha\lambda\omega\pi\zeta\epsilon\nu$ τῶν νόμων exponi possit: triumphare de insidiis, illasque reddere irritas; id tamen quod adjicitur: εἰς τὸ αὐτὸν τὸ χριστόν hunc sensum admodum coacte admittit, quin imo respuit atque refellit. Evidem Paulus Rom. Vlll, 28. omnia, adeoq; etiam hostium machinationes, fidelibus dicit συνεργῶν εἰς αὐτὸν; nunquam tamen insidia & machinationes Satanæ rediguntur εἰς τὸ αὐτὸν τὸ χριστόν, sed eidem ē diametro se opponunt; Qvod vero DEus provi-

providentia sua paterna etiam diabolo contranitente ac ringlete, eas sic sapienter dirigat, ut priis utilitati cedant ex accidenti; hoc sane phrasis hujus: εἰς τὸν ἡγεμόνα τοῦ Χριστοῦ, emphasis non exhaustit: Τανάγρα secundum etymon grecum significat cum summa submissione auscultare & denotat tam reverentiam, quam obedientiam, humilem promptitudinem in excipiendis jussis alterius & alacrem obedientiam in iis exequendis. (3) Quam hic τὸν ἡγεμόνα τοῦ Χριστοῦ vocat Paulus, alibi appellat τανάγραν τοῖς Rom. I, 5. Cap. XVI, 26. & τανάγραν τῆς αὐλῆς dicitur 1. Petr. I, 22. Hac quomodo ad machinationes & insidias diaboli applicari queant, ipse judicet Cl. Auctor. Hinc αὐχμαλωτίζειν εἰς τὸν ἡγεμόνα τοῦ Χριστοῦ nihil aliud denotare potest, quam Divina virtute convincere, & ad fidem convertere, ut ex infideli fiat fidelis. Qualis captivatio (sit venia voci) clarissime eluescit in exemplo Thomæ Joh. XX, 25. 27. 28.

(1) De militia Christiana, conf. Jacobi Lydii Agonistica Sacra cum additamentis Joh. Lohmeieri ed. Franq. 1700. Joh. Arrowsmith Tactica S. libris III. Cantabrigia Anno 1657. & inde Amstelod. 1700. vulgata, ubi de milite spirituali, pugnante vincente & triumphante erudite commentatur. Joh. Bircherodius in Exercit. de Ludis Gymnicis praecepit Olympicis Hafniæ 1664. D. Joh. Christoph. Beccmanni Disput. [de Bellis Domini Sect. III. p. 75.

(2) de Armis spiritualibus egit D. Dornfeldius in peculiari Disput. it. Lambertus Bos in Exercit. Philol. p. 189. seq. Dougtæus in Anal. S. P. II. p. 129.

(3) vid. Ed. Leigh. in Critica S. N. T. sub voce Τανάγρα.

§. XX. Quando verò Paulus voce illa: αὐχμαλωτίζειν utitur, quæ vi, bello & gladio seu hasta aliquem capere vi etymologiæ infert; hinc duo elicimus consecutaria: Prius est: sensum Paulinorum verborum non esse, ut ratio prorsus eradetur, deleatur atque radicitus evellatur, sicut homo in stipitem truncumque convertatur, sed tantum eatenus ligetur & constringatur, quatenus obedientia Christi bellum indicit, myste- riisque divinis se opponit. Qui enim armis & vi capit, non

amicus & morem gerens subditus, sed hostis armatus oblitans atque resistens fit, necesse est. Ratio itaque quoad amicam se gerit veritati coelesti, quoad dicto audiens est Christo in verbo suo loquenti, fidem ipsi in simplicitate praebens, non captiva ducenda est ; Ast simulac hostiliter telis ex sapientia sua terrena armamentario depromtis mysteria divina impugnat & cum Thoma inquit : Nisi sensibus & fana mea ratione id comprehendere & capere potero, non credam ; Statim redigenda est in captivitatem, immaturus hic de rebus divinis philosophandi pruritus & impotens pro libitu sui captus sentiendo libertas cicuranda est & domanda. Romæ captivi, qui non inclusi erant carceribus, sed libertatem habebant exeundi, vincti erant longa catena, cujus una extremitas dextræ illorum erat annexa, altera vero sinistræ militis custodis ; ita ut captivus talis in nullum locum se conferre posset, nisi quo custos vellet: (1) Sic ratio humana captiva est ducenda, non ut omnis ejus operatio in Theologicis intercipiatur & tollatur ; Sed ut fides instar militis custodis obedientia Christi catena eam teneat ligatam, ne extra oleos vagari & praefixos sibi cancellos migrare audeat. Posterioris consecrarium hoc est : Ad subigendam rationem divinam requiri potentiam. αἰχμαλωτίζειν involvit potentiores quandam vim, qva captivus non sine lucta subigitur. Ratio sane humana non prima statim congressione & quibuscumque argumentulis se capi patitur ; sed initio obloquitur verbo divino, nec λόγοις Της αὐθεωπίνης σοφίας tantum inest ponderis, ut rationem subjugare valeant ; (2) sed χρόνος πεντάστερος καὶ δυνάμεως. Spiritus Sanctus solus est, qui gratia sua, non quidem irresistibili, potente tamen, ac efficacissima animos dulci quadam vi deimulcat, trahit, impellit, ut humili Christi prædicationi se subjiciant. Quare Paulus gratia hujus efficaciam vocat τεσερβάλλον μέγεθος Της δυνάμεως εἰς τὰς πιστεύοντας καὶ Την ἐνέργειαν τὰς καρδίτσας τῆς ιχνος, eamque comparat cum illa DEI potentia, qua Christum suscitavit ex mortuis. Ephes. I. 19. 20. Saluberrima hæc rationis captivitas pernicioſissimæ illi opponitur captivitati, qua querente etiam Paulo Rom. VII, 23. subju-

subjugamur sub lege peccati, quæ in membris nostris est. Pecatum hocce originale non tantum captivam dicit voluntatem, ad pravas cupiditates eam impellendo, sed quam maxime captivitatis suæ vincula ad intellectum quoque extendit, erroribus eum irretitum tenens. Utriusque igitur animæ facultatis captivitate obscena atque periculosisima salutaris Christi captivitas nos liberat. (3) Voluntatis sanctissimam captivitatem commendat Paulus Rom. VI. 16. sqq. Intellectus autem captivitatem ex nostro dicto haec tenus adumbravimus. Hæc Christi captivitas nobilissima est libertas, impedit enim qua voluntatem, ne quid mali appetat; impedit qua intellectum, ne quid falsi sentiat intelligatque. Qualis vero perfectior esset libertas, quam non nisi bonum appetere, & non nisi verum sapere?

- (1) Conf. Theoph. Amelii Erörterung der dündelsten Dörfer N. T. ad 2. Tim. II. 9. Anno priori Mens. Aug. p. 691. ubi Scipionem Gentilem in Annotatis ad Epist. Pauli ad Philem. §. 28. prolixis hac de captivitatis ratione verbis differentem adducit.
- (2) Paradoxa sane & quæ multum turbarum dedit, sententia est. D. Joh. Philippi Treiberi, in tract. quem inscriptit: Kunst wider die in Glaubens Lehren zu weitgehende Vernunft aus der Vernunft zu disputiren, oder die mit der Vernunft gefangen genomme Vernunft / consule judicium, quod de hoc scripto ferunt Celeberrimi Auctores Relat. Innoc. de A. 1705. Ord. I. n. 8. p. 56. 62.
- (3) Conferantur ea, quæ de uaria captivitatis acceptance congeserunt Joh. Casp. Sickerus in Thesrao Eccles. sub voce αἰχμαλωτία & Ravanellus in Bibliotheca S. sub voce Captivitas.

S. XXI. Plura ad dicti nostri solidam explicationem & illustrationem addere, propositi nostri prohibet ratio. Cuius æquo divinarum rerum Judici vel ex haec tenus deductis ad oculum patere existimo, quæ blasphemæ & in Deum ipsum injuria, & vanæ jactantiae plena sint verba, quæ Cl. Auctor §. 37. evomuit, dicens: *Unde consequitur, vel divinam non esse re-*

velationem, quæ rationem doceat captivitatem, cùm id neque pér nostræ mentis naturam fieri à nobis posse, & Deo nobisque indignissimum sit; vel si de ejus divinitate aliunde nobis constet, propriè non intelligi posse, si vel expressissimis verbis rationis captivitatem diceret. Cum igitur supra vocem vñpca ne rationis qvidem significationem unquam admittere ostenderimus; & ratio & Scriptura & ipsa vocis vñpca los significatio declarant, nihil eo, quo quidam propositis Pauli verbis rationis captivitatem tradi imprudentissime existimant, esse vel fangi posse aut absurdius, aut Deo rationis Autori & homini ad Dei imaginem condito iniquius. Obstupuit sane & horruuit animus, cùm hæc Christiano indigna legerem. Non tamen ad convitia hæc convitia reponimus; Sed ut Spiritus S. Cl. Autorem ad meliorum frugem & mentem reducat, ejusque mysteriis divinis rebellem adhuc rationem in captivitatem sub obsequium Christi redigat, sincero corde vovemus.

SECTIO II. THETICA.

§. I.

SCyllam inter & Charybdim medium tenuere beati. De di-
vino illo hominibus concessò κειμηλίω, Ratione, abjectè
nimis sentiunt alii; Alii rationis dictamina ad unum o-
mnia tanquam ex tripode dicta venerantes, rigido illius
eique universalissimo inquisitionis officio, non humanatantum
& physica, sed divina quoque, sacra non minus ac profana
subjiciunt, sicut rationem infallibilitatis privilegio munitam,
ut fidei leges dicat, in Tribunal evehunt. Ne vero ad hos è
regione sibi fitos scopulos allisi, fidei patiamur naufragium;
limites, quos migrare piaculum est, caute sunt figendi, ut me-
dia incedentes via, & rationi suum statuamus pretium, & fidei
suum, quod in rationem mérito sibi vindicat, Dominum san-
cte tueamur illibatum. Hanc orthodoxi Ecclesiæ Doctores
semper

semper triverunt viam, quorum & nos legimus vestigia. Rationis usum magnificimus, deprædicamus, commendamus, à quo si discesseris, hominem prærogativa, quâ reliqua superat animalia, exustum ignobilibus creaturis deteriorem reddes & inferiorem. Rationis abusum detestamur, aversamur, quem si invexeris, Lærnæ errorum & virulentis cerebrinorum abortuum monstris aperitas pandis fores. Quis vero rationis sit usus? Quis autem abusus? altioris & difficilioris indaginis est. Abuti se ratione, nemo facile fatetur. Sanam, rectam rationem se sequi gloriantur vel ii, qui pro Junone amplectuntur nebulam. Hic igitur Rhodus! hic salta. Canis ædium custodis utilitatem optime callent Patresfamilias; mordacitatem tamen ejus & minacem indolem catena cohibendam esse iidem norunt, & ne usus degeneret in abusum, carent, ne justo longius cani laxentur catenæ. Liceat quoad justum comparationis tertium simile hoc ad rationem nostram applicare. Haud contemnendam in Theologia utilitatem præstat ratio, ast ne fidei mysteria Theonino arrodat dente, & in sacra Theologiæ adyta impetum faciat, vinculis eam, ut supra audivimus, constringendum jubet Paulus; Quousque vero hæ catenæ rationi sint laxedæ? ex orthodoxæ ecclesiæ nostræ mente, quanta fieri poterit perspicuitate, determinare, constitutum nobis est.

§. II. Quam metam ut eo feliciori attingamus successu, præjudicia quædam (1) in antecessum sunt observanda, quæ si neglexeris, in progressu non poteris non in salebris hærere. Nimirum discutienda prius sunt hæc quatuor: Quid sit ratio? Qualis fuerit ante lapsum? Qualis reddita fit post lapsum? Qualis evadat in illuminatione? sunt, qui primam quæstionem superfluis annumerant; quid sit ratio? per se evideus & clarum esse, ut definitione non indigeat, existimantes. (2) ast dolendum est, ήν γνῶστων σεαυτῷ maneam adeo & imperfectionem multis adhuc disputationum tricis reddi impeditiorem, ut forte tot rationis cudentur definitiones, quot sunt capita. Miserum est, cum Schomero queritur Buddeus (3) in ipso limine & communī intelligendi principio dissidere Philosophos, cum quid illud sit,

quo

quo se omnes niti, quodque sequi gloriantur, indagant. Alius enim rationem definit per complexum facultatum & operationum intellectus. (4) Alius per facultatem distincte reflectendi super conceptus & cogitationes nostras (5) alius per assensum propositioni alicui praestitum ob propriam ejus evidenciam vel immediatam, ut in principiis, vel mediataam, ut in conclusionibus. (6) Alius, quod sit facultas, qua homo ex habitis quondam perceptionibus realibus, earumque vestigiis, multimodis absentium objectorum formare ideas, easque iterum secum invicem comparare, componere, dividere, plurimisque modis considerare, considerando ab una ad alias discurrere, & sic novas rationes alias ex aliis construere, seu novas iudicis consequentias nescire, inque eo opere plurimos errores committer aptus est. (7) Alius dicit esse facultatus hominis, qua percipit & judicat, verumque a falso dignoscit. (8) Alius quod sit naturalis & essentialis intellectum inter & judicandi facultatem nexus, quo fieri non potest, quin, quoties clare & distincte cognitis intuemur, recte etiam & pro ipsa rei recte cognitae natura judicemus arbitremurque. (9) Nobis Ratio est intellectus hominis purus, quo partim immateriales ideas sibi format, partim oblatas materiales species percipit, utrasque considerat, inter se comparat, hinc judicando vel inter se jungit, vel ab invicem dividit, & ex hac vel convenientia vel repugnantia idearum novas nescit consequentias. (10)

(1) Prajudicia hic vocamus non falsas praconceptas opiniones; sed quas Cel. Lœscherus Praelationes appellare amat, Gallis vero dicuntur préjugés, prout noti sunt hunc titulum præ se ferentes libri v. g. Petri Nicolii Préjugés legitimes contre les Calvinistes a Paris A. 1671. Jurieu Prejugés contre le Papisme Amst. 1685. aliquique conf. Cel. Christoph. Matth. Pfaffii Disput. prior. de Prajudiciis Theol. § 2. p. 7.

(2) Sic Stephanus Chauvinus in Lexico Philos. sub voce Ratio. Ratio quid sit, non debet dici, imo ne potest quidem juxta praestantes quosdam Philosophos. Quid enim sit ratio, ajunt illi, satis superque notum est omnibus, quorum hoc insigne est, rationales esse. Nec immerito huc applicaveris quæ de ideis simplificibus, in quibus definiendis operam ludunt Scholastici, annotavit Clericus Log. c. II. §. II. p. 15. (3)

- (3) Schomerus ap. in Theol. morali c. III. §. 3. p. 62. Buddeus in Theol. Morali Institut. c. I. Sect. 2. §. 21. p. 68.
- (4) Est hæc definitio Cel. Buddei l. c. §. 20.
- (5) Hanc definitiōē tradit B. Schomerus l. c. in quam tamen censuram stringit Cel. Buddeus, eò quod rationem nimis arctis circum scribat limitibus, ad reflexivā cognitionem super concep-tus nostros eam restringendo, cùm per loquendi consuetudinem vox hæc latius pateat, & ad totum intellectum, si pro facultate sumatur, rectius referatur. Cui & nos accedimus.
- (6) Sic Hyperaspistes Lockii in Thesibus, conf. B. Joh. Wolffg. Jægeri Disput. in qua Judicium de duobus Adversariis Joh. Lockio & Pet. Poireto eorumque pugna de Ratione & fide exhibet. hab. A. 1708. p. 5. n. seq.
- (7) Sic Rationem definit Defensor Poireti contra Lockium in tractatu: Fides & ratio collatae, edito Amstel. Ao. 1707. Poireti præfatione instructo, de quo B. Jægerus l. c. sic judicat: Quan-quam autem Dn. Poiret in Præfatione dicat, se nihil in illo Tractatu præter paucas notas adjecisse; Tamen quia totus genius, qui ibi spirat, Poiretianus est, ut in compendio illic legatur, quod in septem Tomis Oeconom: Divin. it. in tract. de Erudi-tione solida &c. diffusè habetur; quia porro summis elogiis tra-ctatum illum ornat, inde mirum non erit, quod illa doctrinalia Dno. Poireto attribuamus.
- (8) Indigit Hermannum Wittsum in Miscellaneis S. T. II. Disp. XVII. quæ agit de Uso & abusu Rationis §. 3. p. 585.
- (9) Novum hoc ἔργον est Cl. Dni. Viti in Dissertat. cit. §. 20. p. 448. Subtiliter lane argutatur; primò enim distinguit intellectum à facultate judicandi; deinde medium quoddam vinculum inter hæc singit rationem. Distincta igitur secundum Dn. Vi-tum sunt hæc: Intellectus, judicandi facultas & Ratio. Hac-te-nus quidem Φλυαρίας ejusmodi in saniorum Philosophorum scho-lis calculum non meruerunt. Intellectum enim & ingenium & judicium & ratiocinationem s. discursum reflexivum sub se comprehendere, uno omnes clamant ore; ast noster Philosophus judi-cium nobilissimam intellectus partem abeo divellit. Porro nexuna

essentiali inter claram & distinctam ingenii perceptionem & inde fluens judicium tanquam peculiarem quandam animæ facultatem communisicitur. Nexus talem essentiali dari, non omnino negamus; ast hunc nexus non adeò ipsi animæ, quam potius ipsis rebus in esse, cum Augustino statuimus. Rectè enim ille: Veritas, inquit, connexionem non instituta, sed animadversa est ab hominibus & notata; Nam est in rerum ratione perpetua & divinitus instituta. Sicut enim, qui narrat ordinem temporum, non eum ipse componit, & locorum situs vel animalium & stirpium naturas qui ostendit, non res ostendit ab hominibus institutas; Sic etiam qui dicit: *cum falsum est, quod consequitur, necesse est, ut falsum sit, quod præcedit,* verissimè dicit, neque ipse facit, ut ita sit (ergo nexus hic essentialis non est in ipsa anima tanquam ejus facultas) sed tantum ita esse demonstrat. (sequitur nempe anima in suo discursu nexus essentiali, qui ipsis intercedit rebus.) Hæc Hippomenium ille Præsul in aureo de doctrina Christiana opere Libro II. c. XXXI. ubi de Disputationis disciplina, quam vocat, seu de Logica aut Dialectica, hujusque in rebus facris usu, more suo, i. e. acutè & accurate disserit. Nexus hic, ut ita judicet intellectus, prout clare percepit, affectio potius & rectitudo rationis est, quam ipsa ratio; Quoties enim ratio hanc regulam migrat, aliter de rebus judicans, quam in se sunt; (quod sæpius fieri, qui negaverit, suorum errorum suæque infirmitatis sibi conscius non est.) Manet tamen quæ essentiam ratio, licet non recta, sed devians à veritatis tramite; Substantia sublatâ, nullus produci potest effectus; Jam vero falsa consequentia, falsus discursus realis est effectus, arguit igitur essentiam rationis præsupponendam; ast si essentia rationis, secundum datam à Cl. Vito definitionem, in ipso illo nexus necessario consideret, falsa consequentia ipsa sublatâ esset rationis essentia; quod absurdum. Præterea novum quendam & inauditum voci valorem indere, non est sobriè philosophantium. Invaluit apud omnes hæc Vociis Rationis significatio, quæ facultatem cognoscendi & judicandi denotat, prout facile in ea omnium definitiones possunt conciliari; Novum igitur & à se

Rationi

Rationi affidum significatum Cl. Vitus sibi servet, nobis vero integrum relinquat, famosiorem sequi.

- (10) Plures adhuc Rationis definitiones peti possent ex Stephan^o Chauvini Lexico Philos. item Joh. Micrælli Lexico Philos. p. 1200. it. D. Pauli Antonii Disput. supra cit. c. 1. §. 2. p. 9 seq. Frid. Muzelii Tract. Metaph. Phys. de Ration. Natur. Sect. III. p. 319. Ast inharemus iam nostræ, in qua notanter diximus, Rationem esse intellectum purum, quem probè distinguimus à facultate mixta Phantasia sc. quæ cogitationes passivas, sensuales & imagines rerum materialium concursu sensuum in cerebro depingit, quam communem cum brutis habent homines; Hic vero intellectus purus cogitationes abstractas & immateriales sine co operatione & concursu, nisi occasionali, sensum producit, hominisque à brutis differentiam constituit. Non me morantur, qui puram hanc animæ facultatem eunt explosum. *Multo minus desudabo in refutandis iis*, qui totam rationem, an immaterialitatem ad ravim usque pernegata, ad mechanismum materialem impiè & insultè detorquent; Quos inter sunt Mau becius in suis Principes physiques de le raison conf. Relat. In noc. Ao. 1709. Ord. V. p. 311. Guil. Cowardus, cuius sententiam controversiæque historiam enarrant Rel. In noc. Ao. 1703. p. 653. A. 1704. p. 353. A. 1707. p. 745. Joh. Lockius, qui, Deum creare posse materiam cogitantem, assertum ivit, adversariumque habuit Ed. Stillingfleetum, aliis quoque huic pugnæ se immiscentibus. Eandem ferme sententiam cum Lockio defendit Cel. Buddeus in Elem. Philos. Theoret. T. II. P. I. c. §. 28. & P. 6. c. I. §. 8. Sed rectius mentem explicavit in The sis Theol. de Atheismo & Superstitione c. 6. §. 6. p. 499. seqq. conf. quoque Summè Reverendus Moderator noster D. Weidnerus in Disput. de Homine Spinoza in refutationem erroris Atheistici, quod religio sit cogi conscia hab. A. 1719. §. 7. 8. seqq. p. 16. seqq.

§. III. Ad secundam quæstionem ordo nos dicit. Qualis nempe fuerit Ratio in statu integratatis? Hominem rectum creavit Deus. Eccl. VII. 30. Rectam igitur etiam rationem ipsi indidisse constat. Valde bona, ut omnia, quæ Deus creaverat, sic etiam

mens humana erat, ab omnibus erroribus pura, non nisi veritatis amans. Bene tamen hic distinguenda veniunt excellentiora imaginis divinæ dona ab ipsa ratione; (1) Priora amissimus, posteriori adhuc gaudemus. Lumine quodam divina sapientia coruscabat & splendebat ratio, quod extinxit lapsus primævus nihilque nobis fecit reliqui. Πρωται, quas vocant, ἔννοιαι ad notitiam Dei naturalem eamque in sitam imprimis facientes, licet ab haud obesæ naris Theologis, reliqua ἀνηπεισάσθαις, imaginis divinæ rudera quædam & residua scintillula vocentur, (2) nostro tamen judicio tutius ipsi rationi vel absque imagine divina (actu quidem ipsi tunc concreata) considerata referuntur acceptæ, ut vel excellentiorem hac nostra in statu corrupto adhuc superstite notitiam DEI soli rationi in statu integratatis adscribere nullus dubitarem, (3) adeoque hæc notitia insita sint potius reliquæ, non imaginis divinæ, sed rectæ & integræ rationis, quæ per lapsum licet αὐτοθέαται haud levem contraxerit, hæc tamen integratatis sua rudera adhuc retinuit; Quam in sententiam ut concedam, quam maxime me movent emphatica Pauli verba Rom. II, 14. Φύσει &c. vs. 15. γεγένητον εἰ ταῖς καρδίαις. Quodcumque enim ad φύσιν pertinet, & ταῖς καρδίαις i.e. rationi intime infixum est atque inscriptum, id sane non ab imagine divina, φύσει prorsus contradistincta, sed ab ipsa ratione in se spectata, sed recta tamen, proficiisci potest & derivari. Ratio igitur in statu integratatis, si vel maxime sine imagine divina esse potuisset, saltē per mentis abstractionem sine ea consideratur, tanta tamen pollebat perfectione, ut eatenus, quin imo intimius, quam hodie DEum suum cognoscet. Quantâ quoque præstantiâ Ratio in statu integratatis rationis nostræ, quo hodie valet, acumen & ἀκμὴν vicerit, vel sola animalibus & Evæ ab Adamo imposita nomina demonstrant, Gen. II, 20. 23.

(1) Cautè hic procedendum, ne ab altera parte in Flacianismum aut Socinianismum impingamus, Imaginem DEI cum ipsa Ratione & Substantia hominis confundentes; Nec etiam ab altera parte negis

meris & puris naturalibus Pontificiorum obstetricemur. Verum enim vero in eo non arguitur vel Calixtus vel Papistarum ullus, quod distincte naturalia considerent, sed quod fallò naturalia mera assignent, & ignorantiam mentis, repugnantiam voluntatis, rebellionem appetitus sensitivi naturæ, statui naturalium merorum tribuant, ut & infirmitatem ac mortalitatem corporis. vid. B. Calovius System. Theol. T. IV. p. 471. Damnamus in primis, quod Pontificii tantam in natura pura ignorantiam beneque cogitandi & judicandi infirmitatem statuant, quantum in natura lapsa experimur. Quibus succenturiati sunt Calixtus, Hornejus & Dreyerius, prout probat B. Calovius l. c. De statu integratatis c. I. Qv. 2. p. 494. seqq. Sociniani contra imaginem Dei partim in ipsa ratione, partim in Dominio in creaturas constituant vid. F. Socinus Prælect. cap. III. p. 9. it. de Statu pri- mi hominis p. 88, 93. Smalcianus Ref. Monstr. c. 24. Ostorod. Institutt. c. XXXIII. p. 267. quos à Nostratibus in Collegiis Anti-Socinianis passim videris refutatos.

(2) Conf. Summe Reverendus Moderator noster in Collegio Dispu- tatorio Theol. Disput. VI. §. 4. p. 29. it. Disput. XLIX. §. 7. p. 139. seqq.

§. IV. Tertiæ quæstionis enodandæ manum jam admo- vemuſ. Erat nempe hæc: Quæ rationis nostræ facies sit post lapsum? Ast Eheu! quam diſtant æra Lupinis. Quantum mutata ab illa! Hic quoque ingeminare oportet: Quomodo decidisti de cœlo Lucifer, auroræ fili! Jes. XIV, 12. Lumine tantum non omni extinto ratio nostra cymmeriis obducta tenebris Eph. IV. 18. V. 8. cœcutit 2. Cor. IV. 4. Apoc. III. 12. quid? quod ἀνόητος est Tit. III. 3. & ἀσύνεπος Rom. I. 21. Sin- gulas rationis facultates perluſtrando, οὐ βδέλυγμα τῆς ἐργασίας hoc etiam antea sancto loco positum proh dolor! deprehen- des. Prima, quam vocant, rationis mentisque operatio, quæ recipit formatque simplices ideas, pestifera peccati originalis lue infecta & δέχεται τὰ τὰ πνεύματα τὰ θεῖα. 1. Cor. II. 14. Ubi S. Apostolus rationem sibi relictam vel in prima mentis ope-

ratione circa divina recte versari posse negat. Conf. Joh. I. 5.
(1) Vitium sane huic operationi innatum est, quod materialibus corporeisque imaginibus representandis adsveta, ægre & vix ac ne vix quidem ideas immateriales & spirituales admittat. Non desunt, qui cum ipsi de rebus spiritualibus non nisi sub rerum corporearum speciebus cogitare queant, imperfectioni suæ errorem superaddunt, ne alios quidem homines immaterialium conceptuum capaces esse fingentes. (2) Alteram mentis operationem, quæ judicij nomine venit, non minor invasit oppressitque labes. Error hic & falsitas idearum combinatione vel divisione, fluctuatio seu dubitatio inconsulta & intempestiva, admiratio, ignorantia filia, altas fixerunt radices. Errorum in divinis hic veluti sentina confluxit Kohel VII, 27. Sap. X. 5. Unde ἐπιθυμίᾳ τῆς ἀπάτης Ephes. IV, 22. Dubitationem autem vitiosam reprehendit Paulus Ephes. IV, 14. Hebr. XIII, 9. cui in fidelibus opponitur certitudo Hebr. XI, 1. Rom. XIV, 5. Philip. III, 1. 2. Tim. I, 12. Tertiam denique mentis operationem tanta per lapsum vis morborum affixit, ut vix quicquam sani ab ea exspectari possit. Hinc ματαίοις τῇ νοὸς καὶ διαλογισμῷ Ephes. IV, 17. Rom. 1, 21. σκολιοὶ λογισμοὶ Sap. 1, 3. σκόλος ἐν τῇ διανοίᾳ Ephes. IV, 18. Paucis enim, quæ rationi adhuc inharent, veris principiis abutitur, eadem vi originalis corruptionis male applicando, mox principij petitionem, mox fallaciam non causæ ut causæ, aut à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter, compositionis & divisionis, μελάθασιν εἰς ἄλλο γένος comittit. (3) Quorum vitiorum culpa sane non tantum in subiecta ratione abutentia, sed in ipsam rationis prorsus peccato originali corruptæ naturalem infirmitatem devolvenda redundat. Præter hæc autem vera principia plura falsa ratio naturalis effingit, licet vel ipsa haud minus vera esse sibi persuadeat. Quatuor hujus furfiris principia carnalia, quibus ratio in se spectata sibique relicta nunquam non utitur, ad suum, quem prætendit, finem obtinendum, recenset D. Paulus Antonius. (4) Nempe I. Quicquid amori proprio respondet, illud verum, bonum, & quicquid eidem repugnat, falsum est & malum. II. Quicquid amori mundi

mundi convenit; illud verum, bonum, & contra. III. Quicquid experientia ejusque regulæ, quas subministrat, probant, illud verum, bonum, & vice versa. IV. Quicquid notitia de Deo naturalis perhibet, illud verum, bonum, & vice versa. Ultimum tamen hocce, nisi in applicatione peccetur, in se non ad carnalia, falsa, sed vera omnino principia referre posse, nullus dubito. Ut hæc practica; sic non pauciora sunt theoretica, quæ veritatis speciem mentiuntur, & sub sanæ rationis larva plurimis fumum pro veritate vendunt. (5)

- (1) Conf. B. Seb. Schmidii Collegium Biblicum. Joh. Casp. Svicerus in Thesauro Eccles. sub voce *ψυχικός*. p. 1589.
- (2) Horum in censum venit Cel. Christianus Thomasius conf. ejus Introd. ad. Philos. Aulicam c. 3. §. 26. seqq. p. 79. & c. 7. §. 26. p. 137. Inter alia hoc pertinent: Substantiam spiritualem ratio nostra nescit, quia ipsius modus existendi non incurrit in sensu. Et miserandum profecto est, quod tot homines ratione pollentes se excrucient, ut unus alteri conceptum rei, quem non habet, verbis obscuris & ignorantiam parum palliantibus, communicet. De DEO quidem, quæ prædicata novit ratio, ea omnia cum corporeitate possunt subsistere, & immo DEUS ipse, dum in S. Scriptura post lapsum sanctis suis apparuit, semper se ad captum rationis humanæ accommodavit, ut id faceret sub schemate corporeo. περὶ τὸν ψευδὸν horum, ut ita loquar, Materialistarum est tritum illud: Nihil est in Intellectu, quod non antea fuerit in sensibus. Eodem in luto hærebant Anthropomorphitæ.
- (3) Spectant hic varia præjudicia v. g. Præjudicium auctoritatis, Joh. VII, 48. consuetudinis & paterni moris I. Pet. I, 18. receptæ hypotheseos Joh. VII, 12. VIII, 33. proprii commodi & utilitatis Joh. XI, 48. Omnia hæc præjudicia obicem ponunt veritatis cognitioni, & sicut viride, quo oculus armatur, perspicillum omnia tanquam viridia offert, ita intellectui nebulam offundunt, ut non ex rei veritate, sed ad præconceptæ opinionis ductum judecat. conf. D. Buddeus in Theol. Moral. cap. I. Sect. 2. §. 39. p. 86. & D. Christoph. Matthæi Pfaffii duæ Dissert. de Præjudicis Theol. insertæ ejus Primitiis Tubingensibus edit. 1718.

(4) in

(4) in Disput. de æstimatione Rationis Theol. hab. A. 1708, c. I.
§. 6. pag. 14.

(5) Talium sat longam seriem textit Socinianus ille Wissowatius in Relig. Natur. n. XI. p. 33. seqq. hæc pro communibus principiis ibi venzitans; Omnis Pater est causa efficiens Filii sui. Omnis generatio est mutatio seu motus à non esse ad esse. Omnis homo verus est persona humana. Omnis substantia singularis completa habet suam subsistentiam propriam, quā subsistit, non autem alteri substantiæ inexsistit. conf. B. D. Christiani Kortholti Disputat. De Rationis cum Revelatione concursu §. 33. pag. 34. it. B. D. Christoph. Frankii Exercit. Anti-Limborch, Ex. I. c. II. §. 8. p. 29. seqq.

§. V. Recensitos hactenus corruptæ rationis nostræ nævos ad tria in primis capita revocare licet. Rationi sc. extra gratiam constitutæ inest I. ignorantia, qua divina mysteria &c, quæ saluti æternæ obtainendæ inserviunt, plane nescit, nec in eorum notitiam, si vel summis exculta viribus ad supremum humanæ sapientiæ fastigium pertingat, unquam penetrare potest. Sic incarnationem Filii Dei caro & sanguis i. e. naturalis ratio revelare non potest. Matth. XVI, 17. conf. Joh. I, 18. Tales igitur fidei articuli, qui rationis vel lynceos fugiunt oculos vocantur sapientia ἐν μυστηρίῳ. Cor. II, 7. Il. pronitas, inclinatio & proclivitas quædam naturalis ad mendacia falsitates & errores, ut ratio solo hoc peccati originalis, cuius sedes ipse intellectus juxta ac voluntas est, instinctu vel minima probabilitatis specie ad amplectendas falsas opiniones inducatur, maioremque fidem his, quam divinis veritatibus adhibeat. 2. Thess. II, 10. seqq. Sic ethnici in superstitionibus & absurdissimis de Diis suis commentis suscipiendis creduli magis semper fuerunt, quam Israëlitæ. Peccatum enim originale intellectui intime inhærens eum non minus ad errores & mendacia, quam voluntatem ad mala sollicitat, allicit, stimulat, trahit, pondusque falsitatibus adjicit, quo intellectus nostri trutina facilius in deteriorem propendeat partem. Huc omnino respiciunt verba D. Johannis Evang. Cap. III. 19. Conf. Gen. VIII, 21. Ill, aver-

III. aversatio quædam naturalis , fastidium , odiumque veritatem divinarum . Nam φρόνημα τῆς σοφίας εἶναι ἔχει τὸν Θεόν Rom. VIII. 7. Φρόνημα hic non voluntatis sed intellectus quoque actus designat . Hinc veritas divina rationi naturali est μωρεῖα 1. Cor. II. 14. Hinc pugna illa inter sapientiam DEI & sapientiam hujus mundi 1. Cor. I. 19. seqq. Hinc periculum seductionis à Philosophia Col. II. 8. (1) Hinc ex venenato hoc fonte , ratione nempe corrupta , pestiferi propullulant rivuli : Scepticismus , Indifferentismus , Naturalismus , hæresis , Enthusiasmus , Fanaticismus , prout fusius probat Cel. D. Buddeus ; (2) Nec est , qvod quis regerat , omnia hæc vitia non rationi abstractive , sed concretive spectata esse imputanda . Nam ratio abstractive spectata vel sumitur pro ea , quam DEus ceu bonum donum homini in statu integritatis indidit , vel pro ea , qualis hodie hominibus omnibus per propagationem naturalem ingeneratur ; Priori in acceptione ratio jam proh dolor ! est ens rationis , de qua disputare esset de lana caprina ; Posteriori in sensu abstractive considerata ratio non semper quidem & actu omnia illa vitia exserit ; semina tamen eorum & radices in sinu suo fovet , & ad ea natura inclinat , animumque propellit . Omnes igitur homines licet non in æquali gradu actualibus his intellectus vitiis obruti sint , suo tamen genio ad ea feruntur . Qui igitur tot tantisque encomiis ubivis sanam rationem ejusque verum usum in statu naturali blaterant , corvos elidunt hiantes . Nec enim sana est ratio ullius hominis post lapsum , nec viribus naturæ sanari potest , nec homo viribus gratia destitutus ratione recte uti novit . Ratio proinde in statu post lapsum etiam abstractive spectata omnium illorum vitiorum mater est & fomes & materies . Hanc Intellectus nostri naturalem depravationem & ipsi agnoverunt gentiles . Aristotelem hic primum in scenam producam , qui domi secum habitans ingenue fatetur : (1) *Intellectus noster se habet ad veritatem , sicuti oculi nycti coracis ad lumen , quod ferre non possunt .* Luclentius adhuc de intellectus sui corruptione testimonium perhibet Jamblichus Chalcidensis , (2) DEum supplex orans :

Fac nobiscum ad correctionem Rationis in nobis & ad unionem illius sum vere existentibus. (3) Et tertio Servatori supplico, ut perfecte auferat caliginem oculorum nostrorum naturalium, in eum finem, ut summum Bonum, sc. DEum, nec non virum socium cognoscamus.

- (1) Conf. Theoph. Alethzi *Gründliche Erläuterung Tentam.* I. p. 24. seqq. it. Theoph. Amelius I. c. p. 634. seqq.
- (2) in Theol. Morali. I. c. §§. 27. 28. 29. seqq. p. 75. seqq.
- (3) Metaph. L. II. Cap. I.
- (4) ex edit. Thomae Gale Oxon. Anno 1678. vid. p. 316.
- (5) Vere existentia Jamblichus ex Schola Pythagorica & Platonica placitis vocat ideas. οντάς ἀληθῶς νοέται dicebantur aeternæ omnisq; materiae expertes ideae, quas opponebant τοῖς ὄμωνύμως δοῦι nempe corporibus. Conf. Joh. Schefferus de Natura & Constitutione Philos. Ital. c. 8. p. 56. seqq.

S. VI. Tandem agmen claudat quarta quæstio: Qualis Ratio evadat in illuminatione? Spiritus Sancti illuminatione insignem intellectus nostri mutationem & beatissimam fieri μεταμόρφωσιν, neminem, nisi in Christianismo practico prorsus hospitem, latere potest. Qui fuerat σούλης, tunc fit φῶς εἰν κυρείῳ Ephes. V. 8. Verbi divini lumine collustrata anima nanciscitur πεφαγέσιν ταῖς οὐδαλμοῖς τῆς διανοίας Ephes. I. 18. datum illi est, cognoscere mysteria regni cœlestis Matth. XIII., II. & recte instituere suos λογισμοὺς cum Paulo Rom. VIII. 18. 2. Cor. V. 14. Spiritu S. illam per verbum in omnem veritatem ducente Joh. XVI. 13. Tollitur hac ipsa Spiritus S. illuminatione connata illa renitentia odiumque in veritates cœlestes, accenso contra summo earum desiderio, 1. Petr. II. 2. Reprimitur ille oblatrandi pruritus, ut potius cum humili veneratione recipiat DEI effata Jac. I. 21. Ast ut voluntatis renovatio & sanctificatio non ad eum perfectionis gradum ascendit, ut omnes pravarum cupiditatum scoria exstirparentur & evellerentur funditus; sed remanet vel in irregenitis perpetua carnis & spiritus lucta Rom. VII. 14. seqq. Ita nec intellectus illuminatio adeo omnes dissipavit

spellit tenebras , quin ratio humana suis adhuc scateat nāvis multisque laboret infirmitatibus . Verum quidem est , eos , qui Evangelii institutione utuntur , non parum de ista cæcitate & ingenio rubigine deponere , ac sanioribus cogitationibus imbui . Attamen nulla externa divinarum veritarum propositio quantumvis clara , distincta , efficax , cæcitatib[us] hnic & corruptioni prorsus tollenda sufficit . Petro , qui jam aliquandiu in schola CHristi versatus erat , dicebatur : & Φρενὸς τὰ ἡχὲ Matth. XVI. 23. atque aliis discipulis : O amentes & tardi corde ad credendum Luc. XXIV. 25. Mea hic facio elegantissima in hanc rem verba Hermanni Wittii (1) Quam firmiter etiam apud regenitos rationi inhærent præjudicia ipsi ab blandientia suo nos edocent exemplo Discipuli Christi , qui in schola ejus tot saluberrimis de regno cœlorum Lectionibus innutriti , nondum tamen svave illud rationis somnium de regno terreno mente excusserant . Act. I. 6. (2) Immediata Spiritus Sancti effusione illuminata Petri Apostoli ratio mysterium illud de vocatione Gentilium capere nondum poterat , diu satis ei obliuictata , Act. X. 11. 14. 28. 29. 34. seqq. Imperfecta igitur , quoad in hac infirmitate atatem agimus , manet intellectus illuminatio , ut modo ἐν μέρεσιν δι' ἐστόθεος cognoscamus I. Cor. XIII. 9. 12. Regenitorum quoque rationi abstrusa DEI via sunt invia , quinimo parum abest , quin injusta videantur conf. Psal. LXXIII. 2. 3. 13. 14. 15. 16. 17. sapientius igitur adhuc ipsis cum ratione sua pugna est ineunda , ut eam in captivitatem redigant , & quotidie oportet eos αἰνεῖσθαι γὰρ πενθυμαν γένος Ephes. IV. 23. Nec igitur ratio , nec conscientia , quantumvis renata , est infallibilis , sed erroribus adhuc obnoxia . I. Cor. VIII. 7. (3)

(1) in Disput. de Uso & abuso Rationis §. 8. Miscellan. S. T. II.
pag. 587.

(2) Conf. B. D. Fechtius Praeceptor noster etiam post fata pie condens in Disput. de Restauratione Regni Israëlis ex Act. I. 6. habbit. Anno 1694. §. 19. p. 16. seqq.

(3) Vid. Hermanni Wittii Disput. de Conscientia , nunquam , att aliquan-

aliquando errante. Quæ est XVIII. in Miscell. S. Tom. II.
pag. 603. lqq.

§. VII. His nunc præmissis planior nobis strata est via ad decisionem quæstionis : quisnam verus rationis in Theologia sit usus ? quis vero abusus ? Ratio quantum vis corrupta, Ratio tamen manet , i. e. ea facultas , qua homo cognoscit & judicat. Adeo quidem , ut homo nihil omnino , quale illud cunque sit , cognoscere & judicare valeat , nisi per rationem suam , tanquam proximum cognitionis principium. Idcirco si divines res , si mysteria religionis cognoscenda sint , non aliter id fieri potest , quam per rationem. (1) Ipsi fides , cum cognitio & vixit sit , rationis seu mentis est operatio. (2) Idque tam est liquidum , ut pro rationali non sit habendus , qui in dubium id revocat. Ut denuo mihi cum Hermanno Wittfio. (3) & Cel. Buddeo. (4) loqui liceat. Inter veros igitur rationis in Theologia usus primas tenet hicce organicus , quo ad res divinas cognoscendas ratione utimur , ceu instrumento ; Theologia namque cum sit επιγνωσις τῆς αἰδηίας καὶ ἐνσέβειας Tit. I. 1. requirit necessario principium aliquod cognoscendi instrumentale , ope cuius est principio cognoscendi principali , sc. Scriptura S. eliciatur & recipiatur. Hoc v. nullum aliud , quam intellectus seu ratio esse potest. Exserit se usus hicce instrumentalis quoad omnes mentis operationes seu facultates. Primum in mente est simplex rerum notitia ; Ita hic ratio deducit hominem in articuli aut dicti alicujus expositione ad terminorum cognitionem ex linguarum fontibus , ut quid sit fides , quid justitia ; Deiade est in mente rerum compositio vel divisio ; Ita hic quoque ratio vel conjungit terminos cognitione phrasium , ut , quid sit justificari fide , vel disjungit , ut , quid sit , non justificari operibus . Denique est in mente διάνοια seu discursus , ut appareat , quomodo unum ex altero sequatur ; Ita hic ratio hominis suum instituit Discursum , & in dijudicatione & collatione textuum , quomodo antecedentia cum consequentibus cohærent , ut in Dicto Rom. 3. arbitramur hominem justificari fide , non operibus . Recitavimus

mus haec tenus verba B. Balduini. (5) Ad priores mentis operationes necesse sane est, ut Ratio in subsidium adhibeat humanæ eruditionis partes, Grammaticam nempe & Philologicæ senioris studium, cum voces & phrases in Scriptura sèpius ex ethnicis auctoribus, ritibus, ceremoniis aliisque circumstantiis sint desumptæ. (6)

- (1) Bene distinguit B. Christ. Kortholtus inter id quod cognoscitur per rationem, & id, quod ex ratione. in Disput. de Cursu Rationis & Revelationis §. 3. p. 3.
- (2) Notitia rerum spiritualium salvifica est operatio Spiritus S. tanquam causæ efficientis principalis, quippe qui eam in nobis operatur illuminando; Manet tamen nihilominus etiam operatio intellectus seu rationis tanquam causæ instrumentalis, quæ à causa principali sic elevatur.
- (3) In Disput. de Uita & Abusu Rationis §. 10.
- (4) Qui eadem verba repetit tantum sua in Theol. Mor. I.c. §. 23. p. 70.
- (5) In Comment. in Epistol. Paulinas I, supra cit. p. 702.
- (6) Loquuntur hac de re omnes Exegeti & qui Hermenevticas sacras scripsierunt. Conf. B. Danhaueri Idea boni Interpretis Arct. IX. p. 154. seqq. & Joh. Clerici Ars Critica P. II. Sect. I. capp. 13. 14. seqq. Joh. Sauberti Prodromus Philol. S. editus à Filio synonymo p. 2. seqq.

§. VIII. Palmarium autem fere punctum fert Ratiocinatio, quæ per discursus & consequentias veritatem elicit atque eruit; Hujus tanta in Theologia necessitas æque ac utilitas est, ut per omnes fidei articulos longe lateque se diffundat. Non enim omnia ad fidem moresque pertinentia in Scriptura S. αὐτολεξεῖ traduntur, sed quædam ita, ut ex conceptis Scripturæ S. verbis per pronam demum manifestamque consequentiam possint elici, adeoque non καὶ τὸ εἶπον, sed καὶ τὴν διάνοιαν in Sacro Codice habeantur. Hinc Augustinus Maximinum Arianum ita compellat: (1) *Da, inquis, testimonia, ubi adoratur Spiritus S. quasi non ex iis, que legimus, aliqua etiam, que non legimus, intelligamus. Sed ne querere multa compellar, tu ubi legisti Patrem Deum,*

ingenitum? & tamen verum est. Omnino igitur vel in summis tremendis mysteriis hæc formalium, quæ vocantur, principiorum rationis applicatio justa admittenda est, ut conclusiones, quæ medio aliquo principio à naturæ lumine petito ex Scripturæ verbis eliciuntur, veræ Theologicæ & fide divina sint suscipienda. Facem nobis hic prætulit ipse Christus, qui resurrectionem mortuorum Matth. XXII, 31. sequi, contra Sadducæos probaturus, provocat ad Exod. III, 6. & tamen ne γρὺ qui-dem ibi de resurrectione legitur, ipsa formalia verba si spectes; per consequentiam vero optime inde adstruitur. Apostolorum idem fuit mos probandi Jesum Nazarenum esse Filium Dei & Messiam ex Scripturis. Conf. A&t. XXVIII, 23. Cap. X, 43. Joh. V, 39. 48. (2) Hoc igitur respectu recte differit Wissowatus: (3) Rejecto rationis judicio, quidnam prohibebit, quælibet Sacrarum literarum dicta cœco impetu arripare ad quaslibet absurdissimas conclusiones, quasi ex illis sequentes, deducendas? e. g. septem angelis data sunt septem tubæ; Ergo in Deo sunt septem personæ, Mundus olim aqua inundatus periit; Ergo Deus non est Creator mundi. Per hominem mors I. Cor. XV. Ergo Jesus Christus nunc non vivit &c. Et multa inconvenientia similiter colligere licet. Quonam antem modo ab istis absurdis collectionibus sese expedient ii, qui rationis examen secludunt à controversiis religionis dijudicandis? An dicent, consequentias non esse legitimas; At, num consequentiaz sint legitimæ, an non sint, nonne id ipsuma ratione est dijudicandum? (4)

(1) Conf. B. D. Christ. Kortholtus I. c. §. 9. p. 9. ubi idem & Gregorii Nazianzeni, Dionysii Alexandrini, Athanasii, Anselmi, & Maximi, seculi septimi Scriptoris, confirmat testimonis, quæ hoc transcribere, ut chartæ parcamus, non lubet. Collimant ad hunc scopum omnia Patrum dicta, quibus τὸ ὄμογότον, licet in Scriptura S. non totidem literis existet, fide tamen recipiendum esse contra Arianos probant.

(2) Operæ pretium non esse duxiimus plures pro hac thesi probationes cumulare

mulare aut ulterius deducere , cum prolixiora in iis sint Theologica nostra passim Systemata . Accurātē in hac opera versantur B. Johannes Musaeus in Disput. de quæstione : An conclusiones ex una propositione revelata , & altera evidente , aut ex duabus revelatis per evidentem consequentiam deductæ , sint de fide , recusa A. 1705. c. III. §. 40. seqq. B. Christ. Kort Holtus I. c. §. 17. seqq p. 16. seqq. Gisbertus Voëlius Selectarum Disput. Theol. P. I. Disput. I. p. 7. seqq. B. Calovius System. Theol. T. I. C. III. Q. VI. p. 359.

(3) In Tract. de Religione Rationali vulgato A. 1685. N. IX. p. 28. 29.

(4) Aerem autem ferit Wissowatius , & Andabatarum more pugnat , hæc nobis Lutheranis sanum rationis usum amplectentibus objiciens . Ratione suo modo utendum esse , quis nostrum unquam negavit ? Annon utimur ipſi , quoties proprietatem linguae vel structuram totius textus attendimus . Ex auditu est fides Rom. X. 18. Ad auditum vero usus rationis requiritur , ut vox à voce discernatur & aliquis sensus percipiatur . Sic in confirmando , in destruendo in exponendo rationis usum necessarium esse , non imus inficias . Sunt verba B. Balibas. Meisneri in Disp. de Calvinismo fugiendo propter incertum principium eorum theſ. 83.

§. IX. Ast in hoc præcipue rei cardo vertitur , ut quoque hæc principiorum rationis in nectendis consequentiis applicatio valeat , distinctius paulo enucleemus . Utrinque apud omnes in confessio est , conclusionem Theologicæ legitimam atque veram esse , ubi altera præmissarum ex lumine gratiæ & revelationis , altera ex lumine naturæ innotescit . Non tamen omnia promiscue rationis principia , nec quovis modo nec ad quosvis fidei articulos sic adhibere fas est . Hic itaque cautelis opus est quam maxime , ne , cum & nos & adversarii nostri principiis rationis utamur , illi , quod ipsis exprobramus , in nos retorquent , eandemque in nos redundare culpam jure arguant . Tria præcipue sub incudem sunt vocanda :

(1) in quibus nam controversiis Theologicis rationis prin-

Principia admitti possint? (2) quibusnam principiis rationis liceat uti? (3) quomodo iis sit utendum? Ad primum expediendum, notamus quæstionum Theologicarum divisionem in puras & mixtas, non quidem in sensu B. Meisneri; (1) Sed Theologis hodie familiari, quo quæstiones seu articuli fidei puri dicuntur, qui unice ex revelatione divina innotescunt, & summa fidei mysteria concernunt; Mixti vero, qui etiam ex lumine naturæ quoad partem sunt noti. De his sane nullum est dubium, quin ad eos confirmandos rationis quoque principia in subsidium vocari queant; De illis autem nec absolute negare, nec absolute affirmare licet; sed hic excutienda est altera quæstio: quibusnam rationis principiis sit utendum? Distinguunt ea in formalia & materialia B. Musæus (2). Formalibus, quæ Logica quoque vocantur, etiam in puris fidei articulis suum relinquimus locum. Materialia autem pro diversitate disciplinarum sint vel Metaphysica vel Pneumatica, vel Jurisnaturæ, vel Physica &c. Subtiliter & acute de his multa differit B. Musæus (3) quæ tamen cum non ad omnium sint captum brevibus sic mentem nostram exprimimus: Metaphysica, Pneumatica & Jurisnaturæ principia materialia, dummodo sint evidenter vera, & justæ consequentiæ leges obseruentur, possunt adhiberi, quoad conclusio ex iis resultans non repugnaverit aliis Scripturæ S. locis, ejusque contrarium clare in Scriptura S. affirmetur. (4) Quodsi vero conclusio ex altera στρατηγίᾳ, altera naturali præmissa em ergens ē diametro contrarietur aliis Scripturæ effatis, vel αὐθεντικοῖ vel κατ' ἡγεμονίαν (in qua tamen non materialia, sed formalia rationis principia tantum adhibentur) ibi exstantibus; quid tum statuendum?

(1) Vid. Joh. Musæi Tractatus de Usu principiorum rationis in controversiis Theol. contra Nicol. Vedelii Rationale Theol. L. I. c. 13. §. 33. p. 113. ubi inquit: Ut vero nec mihi ea distinctione omni ex parte probatur, ita ejus patrocinium in me minimè suscipio. Conf. §. 45. p. 225. It. c. 14. p. 125. seqq.

(2) Vid. I. c. L. II. c. 2. §. 2. seqq. Alias etiam distinguunt Theologi

logi nostri inter principia organica & philosophica, organica respondent formalibus, & philosophica idem faciunt cum materialibus. Conf. B. Galovius I. c. p. 358.

(3) I. c. capp. II. III. IV. p. 305. seqq.

(4) Recte sic pronunciat Renatus Cartesius Princ. L. I. §. 28. Mores tamen, ut jam dictum est, huic lumini naturali *tam diu tantum* esse credendum, quamdiu nihil contrarium ab ipso Deo revelatur. Referunt alias Theologi nostri inter Scripturæ S. affectiones Fecunditatem, vi cuius, quæ vel per mille consequentiārum gradus ex verbis Scripturæ eliciuntur, vera tamen sunt Oracula; At valet tantum de principiis formalibus; Materialia ubi adhibentur, ex supra dictis limites suos accipit.

§. X. Huic quæstioni ut satisfaciamus, præsupponimus, omnes sanæ mentis compotes facile nobis concessuros, quod unica sit veritas, nec duo contradictoria simul possint esse vera, nec verum quid esse in Philosophia, quod falsum sit in Theologia. (1) Contra qui sentit, non refutatione, sed irrisione dignus est, quippe adversus negantem principium omnium primum: Impossibile est, idem simul esse, & non esse, non est disputandum, cum omnis disputationis evertat fundamentum. Marpesii igitur cautibus firmiori stat fundamento, inter veritates natura notas & revelatas nullam veram dari posse contradictionem, sed apparentem tantum esse, ut, dummodo reæta inveniatur conciliatio, in gratiam secum facile redeant. Conciliationis hujus duplex est via, altera, ut Scripturæ verba, quantumvis clarissima, ita tamen flectantur, (v. g. ad sensum improprium & figuratum) ut cum rationis principiis materialibus convenient; altera, ut rationis dictamina ad eum sensum corrigantur, quem Scripturæ verba fundunt. Utra jam eligenda sit via, ipsa sana ratio judicet. Notamus tamen adhuc in antecessum distinctionem ex Illustri Leibnitio, (2) principia rationis sive veritates natura notas alias esse æternas, alias positivas. In numerum æternarum veritatum ex mea sententia refero unicam, quæ mihi audit formalis, seu potius regula omnium veritatum discernendarum, hanc nempe: im-

possibile est idem simul esse & non esse ; (3) Dein quasdam materiales juris naturæ partim Theoreticas : scil. DEum existere , DEum esse ens perfectissimum &c. partim practicas : DEum esse colendum, suum cuique tribuendum ; Haec veritates cum non sint effectus rationis nostræ ratiocinantis ; Sed ipsi à DEO inditæ ac concreatae , immutabiles simul sunt, nec his ulla revelatio divina contradicere potest , quoniam illæ & que à DEO sunt , ac veritates revelatae . Positivæ vero veritates sunt omnia principia , quæ sana ratio ex consideratione rerum creatarum ab inductione omnium singularium progrediendo ad universalia , & experientia sibi colligit , vel ab aliis collecta asserunt , v. g. intellectus noster in consideratione rerum creatarum materialium inductione omnium corporum singularium experientia vel sua vel aliorum in iis offendit extensionem , hinc à singularibus ad universalia progrediendo format hocce principium : omne corpus est extensum . (4) Quæ veritates positivæ cum sint effectus rationis ratiocinantis , dein in natura rerum creatarum fundantur , & tandem ex inductione omnium singularium , quæ sub hominum sensus cadunt , sunt formata ; Sequitur illas veritates non omnino esse immutabiles , nec ulterius earum universalitatem posse extendi , quam ad classem eorum singularium , quorum inductione nituntur . (5) His præmissis observo , haec tenus à nullo unquam adversario taliem inter verba Scripturæ S. & æternas natura notas veritates pugnam , quæ omnia contradictionis veræ requisita haberet , fuisse demonstratam ; sed omnes contradictiones ab adversariis hucusque apparetur allatas versari inter positivas illas rationis veritates & mysteria in Scriptura revelata . (6)

(1) Quodsi Theologorum nostrorum quidam v. g. Lutherus, Meisterus , Chemnitius , aliquie dixisse videantur , falsum esse in Theologia , quod verum sit in Philosophia , & periculosisimum in Theologia principium esse illud Logicum : Contradictoria non possunt esse simul vera ; Vanus tamen est & injuriosus in iis accusandis & refutandis Nicolaus Vedelius in Rationali suo Theol.

L. 3.

- L. 3. c. 2. p. 343. seqq. Non enim loquuntur de Philosophia seu ratione abstractivâ & sana; sed concreta & quæ principiorum suorum decempeda mysteria quoque dimetiri conatur. vid. B. Musæus l. c. L. II. c. 14. §. 14. p. 461. Conf. quoque D. Paulus Antonius in Disput. supra cit. c. II. §. 5. p. 29.
- (2) Vid. ejus Essais de Theodicè sur la Bonté de Dieu, la Liberté de l' homme & l' origine du mal. edit. Amst. A. 1710 in Dissertatione præliminari de Conformatitate rationis & fidei, cuius ubiorem recensionem habet der neue Bücher-Saal. XIX. Öffnung p. 383.
- (3) Jam nos non immittimus controversia Philosophicæ Cartesianos inter & Aristotelicos de primo cognoscendi principio. Sed hic tantum ὡς ἐν παρόδῳ observamus, ut in corporibus secundum certas à Deo positas leges mechanicas motus motum sequitur, sic in spiritibus quoque hanc adnimadverti harmoniam cogitationum, ut ex prima necessario resultet secunda, ex secunda tertia, nec adeò incongruè animam dici une espece d' automate spirituelle, dum modo nihil materialitatis immisceatur. Leges igitur mechanismi ut sunt norma motuum corporis; ita principium hoc legem normamque motuum animæ i. e. cogitationum dixeris, & formale, quia format & dirigit cogitationes certo nexus se in vicem subsequentes.
- (4) Falluntur sane Philosophi, qui extensionem ex ipsa corporis essentia à priori demonstrasse sibi videntur. Cancrino incedunt gressu; Intellectus noster non à cognitione essentiae dicit initium, facto progressu ad fluentes inde proprietates & affectiones; Sed ex cognitis affectionibus qualemcumque essentiae ideam efformat. In physicis profecto omnis nostra cognitione incipit à sensibus, quibus non rerum essentiae, sed modi tantum percipiuntur. De essentia corporis nūl novimus, quam esse aliquid, quod sustentat omnes modos & proprietates, quas sensus corporibus singularibus inesse nos docent. An vero nexus inter essentiam & proprietatem hanc vel illam abolutè necessarius sit, nec ne? non possumus determinare, nisi quatenus experientia Magistrâ discimus, proprius hanc proprietatem ad essentiam

tiam accedere quam illam, eo quod hæc omni & semper, illa vero tantum quibusdam & aliquando inesse deprehenditur. Quodsi itaque, ex haec tenus deducatis, nos latet, an corporis essentiam inter & extensionem ab solutè necessarius sit nexus nec ne? Sequitur contradictionem non implicare Corpus non extensum. Corruit itaque primarium illud palladium Calvinianorum contra realem corporis Christi præsentiam in multis locis simul. vid. Ill. Leibnitius I. c. §. 18. p. 24. seqq.

- (5) Nuntiatur autem inductione singularium mere naturalium. Universalitatem earum igitur transcendent, quæ ex mero statu naturali in supernaturalem transferuntur v. g. Corpus Christi & corpora Beatorum glorificata, it. virgo pariens Messiam, ignis non consumens tres viros in fornace, ferrum Elisei natans &c.
- (6) Exempla in contrariorum, quæ eo à nobis jure trahi nequeant, ut nobis afferantur, ab adversariis adhuc exspectamus.

§. XI. Status controversia ex supra deducatis rite formatus hic est. satiusne sit clarissima Scripturæ verba ita flectere, ut cum veritatibus rationis positivis convenient? an has positivas rationis veritates ita limitare, ne repugnent sensui, quem Scripturæ S. verba fundunt? affirmo, satius esse veritates ex ratione notas, easque positivas ita corrigere & limitare, ne repugnent sensui, quem Scripturæ verba demonstrant, quam Scripturæ verba in impro prium detorquere sensum, eum modo in finem, ut cum his veritatibus conspirent. Et hic sanam rationem à partibus meis stare, tam certum est, quam quod certissimum. Sanam nempe dico rationem, partim quæ sibi relicta tantillum adhuc possidet sanitatis; partim in sensu prægnanti, quæ gratiosa Spiritus S. illuminatione sanitati est restituta. Ratio vel in priori sensu tantum fana agnoscit, principia sua ex experientia sensuali formata non valere ultra illas res, quæ suæ experientiæ sunt obviæ; agnoscit, dari posse res ab his, quæ sibi per experientiam nota sunt, diversas, quarum cum nullam distinctam habeat notitiam, nec judicium secundum sua principia ferre possit. Agnoscit, DEum Autorem rerum creatarum, quas liberrime his vel aliis vestitiv proprietatibus, iterum

rum iis exuere, vel aetum secundum earum cohibere, legesque motus a se ex liberrima voluntate positas, iterum mutare posse. Hinc ratio fororio necit vinculo hoc consectarium; res immediate a DEO revelatas non posse dijudicari secundum veritates suas positivas; sed ideas in revelatione oblatae ab universalitate suorum principiorum exemptas, vel salvis his in suo genere, tamen diversas habere posse naturas, v. g. ratio ex inductione omnium essentiarum singularium quas sensibus & experientia sibi notas reddere potest, hanc format veritatem positivam: omnis essentia singularis habet quoque propriam subsistentiam seu personalitatem; Quando jam in Scriptura S. humana Christi natura propria subsistentia destituta in personalitate Filii DEI terminari clare satis dicitur; sana ratio fateatur: DEum, qui naturas juxta ordinarias leges liberrime ita creavit, ut propria gaudeant subsistentia, eadem ex libertate hanc legem posse immutare & naturam, ademta propria subsistentia, in perfectiorem alterius personalitatem evehere. Multo magis autem Ratio Spiritus S. gratia suffulta & sanitati redita, tantam Scripturam S. defert autoritatem, ut eam ceu unicam normam, ad quam omnia sua componat exigatque principia, humillima suscipiat reverentia. Suæ enim caliginis sibi conscia, veracitate, sapientia & omnipotentia divina, quæ plus, quam illa capit, facere potest. Ephes. III. 20. innixa, nihil non tanquam indubitato verum, sibi licet absurdum videatur & stultum, quod *av̄n̄s ēφa*, amplectitur in simplicitate fidei, optimè gnara, DEum mentiri non posse. Hebr. VI. 18. (*)

(*) Pia atque præclara sunt hac de re verba Hermanni Wittsili Disput. de Uso & Abuso rationis §. 21. p. 591. Supposito, inquit, existare revelationem de mysteriis; at inquire in sensum verborum quibus ista revelatio mihi exponitur; Non est in ista inquisitione ita procedendum, ut primò rationem meam consumam, quid ea in idearum ac notionum suarum scriniis rel, de qua agitur, simile aut adversum habeat, ut secundum eas, quas ibi invenio, notiones verba revelationis exponam, id unicè ope-

ram dans, ut sensum tandem aliquem, quanta maxima possum
commoditate, iisdem, qui istis meis notionibus optimè conve-
niat. Sed attendendum est ad ipsa verba, quid in omnibus suis
circumstantiis significare apta nata sint, quidque secundum scri-
pture stylum significare soleant; atque hac viâ reperto sensu,
quem verba fine torsione per se fundunt, securè in eo acquie-
scendum est, omniaque rationis scita subjicienda sunt isti sen-
sui, quem iis me verbis docet Deus. Sic propria cœidunt vi-
neta Reformati! Facillimum enim esset demonstrare, illos in
explicatione verborum Christi de S. Coena priorem, quem re-
jicit, modum sequi, posteriorem vero, quem merito commen-
dat, negligere, &c in nobis damnare.

§. XII. Hic ad contradictoria, quasi ad sacram anchora-
ram confugere solent Adversarii, cum ab omnibus dicant con-
cessum iri, DEum non posse facere contradictoria; Horum ve-
ro judicium nulli, nisi rationi, posse committi. Quodsi ex li-
beralitate largiremur (1) nihil tamen inde lucrantur. Contradi-
ctoria enim ex ipsa sanx rationis definitione, sunt, quorum
opposita sunt absolute necessaria, duas propositiones conti-
gentes & non necessariae nullam implicant contradictionem.
Cum igitur solæ veritates æternæ necessariae sint & immutabiles,
positivæ contra veritates à Liberrima DEI voluntate depende-
ant, & sic non necessariae sint atque mutabiles; Aperte exinde
fluit, veritatibus positivis alias ab iis diversas veritates, absque
contradictione posse opponi, v. g. Positiva est veritas: Distin-
ctæ plures personæ distinctas numerice plures habent essentias;
cui tamen quod nulla inest absoluta necessitas, absque con-
tradictione simul vera esse potest alia propositio: Dantur tres
distinctæ personæ, quæ unam habent essentiam. Contradi-
ctoriae igitur non sunt ideae per revelationem nota, quæ posi-
tivis veritatibus repugnant, sed veritas earum simul cum his
consistere potest. (2) Quodsi autem in revelatione ostendi
possent ideae, veritatibus æternis & necessariis è diametro op-
positæ; tum vietas daremus manus. Dein ad contradic-
toria

nis

nis veræ requisita spectat, ut utriusque idea claram & distinctam habeamus perceptionem. Imperfectæ & obscuræ tantum si adfuerint idea, immaturum & intempestivum de earum contradictione judicium fertur. De plurimis autem & cœlestibus & terrestribus rebus obscuras admodum & multis imperfectionibus scatentes capimus ideas; (3) Temeritatis igitur effrenis & perficiæ frontis esset, afflere, ideas, quas nec plene nec clare noveris, contradictionie sibi repugnare. v. g. Generationis seu propagationis animalium humanæ vix ullam, saltem obscurissimam habemus ideam; generationis aeterna Filii Dei ex Patre imperfectam modis nobis suppeditat Scriptura S. Ex hac obscura generationis humana idea formant Adversarii principium: Omnis Pater est causa filii sui, eoque tempore prior. Cum hoc contradictoriæ dicunt pugnare Generationem aeternam Filii Dei. Ast in tenebris palpitant, & sicut coeci de coloribus judicant, inter ideas obscuras & imperfectas contradictionem temere statuentes. Tandem observandum est, quod non statim sit contradictione inter duas ideas, quarum connexionem nos non prorsus comprehendere & luculenter perspicere possumus. Aliud enim est *αναλόγησις*, aliud *αντίστοιχος*. (4) v. g. connexionem inter ideam bonitatis & sanctitatis divinæ ab una, & ab altera parte ideam permissi lapsus Ratio nostra lusca pervidere & comprehendere nequit, non tamen propter hanc incomprehensibilitatem statim contradictionia pugna inter duas has ideas cum Manichæis est fingenda. (5) Connexionem, qua idea durationis cum idea *τόπος* esse sine initio & fine, sine successione præteriti, præsentis & futuri jungitur in aeternitate, ratio penetrare non vallet; Incomprehensibilis igitur est aeternitas, ast implicare contradictionem, ex eo nondum demonstratur. Quas tres cautelas haec tenus propositas in dijudicandis contradictionibus, quas toties totiesque oblatrant Adversarii, si rite observaveris; Spissæ, qvas nobis obtrudunt, nebulæ nullo evanescunt negotio.

(1) Equidem B. Gerhardus de methodo Stud. Theol. Sedt. II. c. 2.

p. 112. seqq. Stegmannus in Photinianismo Disput. II. Q. 3, aliique, de contradictione judicium rationi in mysteriis non esse committendum, defendant; Più quidem intentione, ut eò acriùs obviam irent abusui, quòd Ratio in mysteriis caligans falso sibi contradictiones, ubi nullæ sunt, fingit; Ast non satis accuratè. Scriptura S. enim judicium de contradictione deferri non potest, cum de sensu ejus in hoc vel illo loco quæstio sit; Ipsa vero rationis natura judicium de idearum, quæ ipsi cognoscenda offeruntur, vel repugnantia vel convenientia, tanquam nobilissimam sui partem involvit; Cùm igitur idea mysteriorum rationi cognoscendæ in Scriptura proponantur; per ipsam mentis naturam fluit ex cognitione quoque judicium, an convenientiam secum, an repugnat? Nec tamen propterea Ratio judex αἰνορατορικὸς contradictionum constituitur; Sed nudum manet instrumentum, quòd in ipsis ideis latentem vel convenientiam vel repugnantiam percipimus. Interca ut in reliquis operationibus, Ita hic quoquè, ne in devia & præcipitia abripiatur. Ratio suis le continet limitibus, supra in §. positis; Quos si custodiverit, nihil ab ipsa periculi mysteriis imminet. Propter abusum, quem hic committunt Calviniani (vid. Nicol. Vedelius l. c. L. III. c. 7. p. 559.) usus non est tollendus.

(2) Vid. Ill. Leibnitius loc. supra cit. Distinguenda hic omnino est contradictionis formalis, quæ intercedit inter duas propositiones affirmativam alteram, alteram negativam; à contradictione materiali, quæ contradictionis in adjecto Philosophi audit. Illa esse potest etiam in propositionibus contingentibus; Hujus opposita sint absolute necessaria. vid. Gisbertus Voëtius l. c. de Potentia Dei. P. II. §. 2, p. 413. seqq.

(3) v.g. Omne Corpus esse in uno loco circumscriptivè, est veritas positiva eaque physica; Quæritur: an cum hac contradictione pugnet idea revelata corporis Christi in pluribus locis simul existentis? Negamus, quia nullo haec tenus idoneo arguento evictum est, præsentiam corporis in uno loco circumscriptivam esse proprietatem corporis absolute necessariam, licet anxiocanatu in eo haec tenus desudarint Calviniani. vid. Gisbertus Voëtius

tius l. c. P. 3. p. 425. seqq. it. p. 428. Menter igitur Voëtii non rectè interpretantur Cel. Lintrupius in Praefat. præmissa Epistolis B. Masii cum Paulo Infantio edit. A. 1718. & D. Matth. Christoph. Pfaffius in Disput. de Contradictoriis in notis ad *ep̄ip̄es̄ pov.* Primit. Tubing p. 260. quando putant, Voëtium eò veritatis vi adactum esse, ut confiteretur, non esse contradictionum, si statuatur corpus in pluribus locis simul: Ocularis inspectio enim docet, Voëtium quæstionem illam: An idem numero corpus possit esse in diversis locis simul? expresse ob contradictionem negare l. c. p. 431. & P. V. p. 640. sententiam autem suam, quod Deus creare potuerit corpus, quod esset ubique, explicat de præsentia extensiva per omnia spacia imple-tione divisibili seu per partes, & illustrat exemplo aëris, qui omnia spacia occuparet, contra Marerium se defen-dens, quod neque Transubstantiationi, neque Consubstantiationi (ut nostram de præsentia Corporis Christi in S. Coena senten-tiam criminatur) frigidam suffuderit.

- (4) Non piget hic adscribere clarissimum Conrad. Horneji testimoniū in Processu Disput. §. 13. *De contradictione in adjecto, aut, judicari non posse, nisi accuratè utrinusque essentiā perspecta.* At quotàque pars rerum naturalium est, quarum es-sentias tam exactè notas habeamus, ne dum divina penetremus, quæ supra captum nostrum esse longissimè posita, notius est, quam ut demonstrari opus sit. Quare nihil magis temeraria est, imo impium, quam in ipsis rebus pro lubitu contradictiones in adjecto fingere, & maximè si de potentia Dei dispu-tetur. Quanquam enim ea, in quibus vera contradictione est, Deo nullo modo tribui possint; attamen an contradictionum sit hoc vel illud, admodum difficile est ostendere, cùm id, ut diximus, sine sufficienti terminorum & rerum ipsarum notitia fieri nequeat. Quin multa nobis contradictionia apparent, quæ ta-men re ipsa non esse, inde constat, quia illa fides expresse docet; apparent autem, quia rerum illarum essentiam non satispercipi-mus, imò planè non assequimur.

- (5) Conf. D. Matth. Christoph. Pfaffii, jam Pro-Cancellarii Tu-bing.
H

bing. Dissertatio Apologetica de Contradictoriis, num propriè loquendo credi possint? contra Cel. Turretinum hab. A. 1718.
S. 7. seqq.

(6) Quæ inter Bælum & Clericum hac de re disputata sunt, referemus fusius infra in Sect. Elenchitica conf. Relat. Innoc. Anno 1706. p. 532. 577. 795. it. Cel. Wolfius de Manichæismo.

S. XIII. Facillimum jam erit probe distingvere, quænam idæx sint secundum rationem? quæ supra rationem? quæ vero contra rationem? Idæx secundum rationem dicuntur, quæ, cum sub universalitate veritatum positivarum contineantur, merito etiam secundum earum normam exigendæ sunt atque dijudicandæ, vi dæti de omni & nullo. Supra rationem sunt idæx, quæ, cum sensibus non subjaceant, sub universalitate veritatum positivarum, sensuum experientia fundatur, non includuntur, adeoque, salvis veritatibus positivis, diversas ab his naturas, affectiones & proprietates possidere possunt, cum in alia eaque transcendentे generum classe consti- tuantur. (1) Contra rationem vero dicuntur idæx, quæ clare & distincte utrinque perceptæ cum veritatibus absolute necessariis & æternis ita pugnant, ut, non tantum connexionem earum comprehendere nequeamus, sed altera alterius idæx es- sentiam prorsus tollat atque evertat funditus. Tales in Scriptura S. non dari, tanquam pro aris & focis contendimus (2). Patet exinde, quomodo solvendum sit illud dilemma: Mysteria aut convenientiunt rationi, aut disconveniunt. Si disconveniunt, sunt contra rationem. Si convenientiunt, habent adver- sarii quod volunt. Nimirum Resp. mysteria nec convenientiunt nec disconveniunt; Sed non convenientiunt. Non convenientiunt negationem, sed disconvenire præterea positivam disformatatem, contrarietatem ac repugniam in- volvit. Non disconveniunt mysteria revelata principiis ratio- nis, quia iis non sunt contradictione opposita; Interim nec convenientiunt principiis rationis, quod hæc ad mysteria revelata plane non pertingunt (3).

(1) Summa-

- (1) Sumatur Simile à legibus fundamentalibus & Civilibus duarum Rerum publicarum, quarum altera est Monarchica, altera Aristocratica vel democratica; Hæ si non ultra suas quæque Respublicas extendantur, veræ sunt atque justæ, liet non convenient, sed invicem sibi opponantur in forma; Ast si imperium aut subditorum in Republ. Monarchica actiones juxta leges Republicæ Aristocraticæ volueris dijudicare, committis *πατέρων εἰς αὐλὴν γένος.* Applicatio fiat, ad duo Regna DEI, alterum Potentia ordinaria, alterum Omnipotentia absolute
- (2) Conf. D. Frankii Exercit. Anti-Limborch. Exerc. I. c. II. §. 3.
p. 24. Veterum Theologorum quidam si mysteria contra rationem & naturam esse, afferant, excusandi sunt, quod purior & sanior eorum fuerit mens, quam verba accurata. Rectè proinde Floraventius Pontificius l. 3. de Trinit. c. 2. Veteres Theologi, inquit, non fuerunt tam religiosi in distinguendis his nominibus; *contra & supra naturam*, sicut Theologi recentiores; Non enim dubitabant interdum assertere, multa in religione nostra fieri contra Naturam, ut constat ex Ambrosio in Libro de his, qui initiantur Mysteriis c. 9. conf. quoque Scripta Eristica Bælium inter & Jaquelotum, de quibus infra pluribus,
- (3) Vid. B. D. Christoph. Frankius l. c. & in Specim. Controv. c. IV. Sect. 2. p. 8. it. B. D. Mayeri Disput. In quantum discrimen Reformatos adducat falsum in Theologia principium Rationis.

S. XIV. E diverticulo quasi jam in orbitam redeuntes, quousque rationi catenæ captivitatis sub fide laxandæ sint, cuvis liquido constare, arbitramur. Nempe quoad ratio in eruendo Scripturæ sensu rite versatur juxta principia formalia, quoad in necrendis consequentiis juxta principia quoque materialia nihil elicit, quod verbo DEI claro contradicit; non est impedienda aut cohibenda in suis operationibus; ast, quamprimum principia formalia negligendo, vel contra ea peccando fallaciis indulget, exprincipiis suis materialibus, quamvis formaliter justo consequentiarum nexu, talia infert, quæ ex aliis scripturæ locis falsitatis convincuntur, siveque revelationi bellum

bellum indicit ; statim quasi vela ratiocinationum sunt contrahenda, remi syllogisticarum consequentiarum inhibendi, rationi silentium est imponendum, & occinendum : ne sutor ultra crepidam. Hæc tibi meta datur ; ad hos limites quiescant superbientes tui fluctus, ne illotis manibus sacra profanis, quadrata misceas rotundis. Hic in locum rationis scientiam evidentem affectantis succedat Piscatoria Fides, juxtra tritum illud Augustini: Quod scimus, debemus rationi, quod credimus, auctoritati. (1) Hæc est genuina & ab Apostolo Paulo in loco supra explicato nobis injuncta rationis subjugatio. Quod si jam moveatur quæstio : An ratio tantum irrogenita, an vero quoque regenita sic in captivitatem sit redigenda ? (2) Distinguendum est inter rationem regenitam in sensu reduplicativo, & in sensu specificativo. In sensu reduplicativo Ratio quæ regenita seu illuminata est, nunquam obloquitur Deo in verbo loquenti, sed humillima cum reverentia in verba ejus jurat, si vel maxime sibi videantur stulta & incomprehensibilia, adeoque non amplius ut captiva ducatur, opus est; Sed illa jam captiva svavissimo hujus obedientiæ Christi Jugo collum lubens subdit & sponte in hac captivitate acquiescit. Ast in sensu specificativo ratio, quæ regenita s. illuminata est in his vel illis fidei articulis, tamen adhuc in aliis articulis ob adhærentes sibi adhuc peccati reliquias, ex principiis suis naturalibus verba DEI haud raro impugnat, & in lucta carnis & spiritus, quæ in voluntate juxta ac in intellectu apud fideles quoque sæpe recurrit, fieri potest, ut ratio jugum excutere tentet. (3) His igitur in casibus ratio, quantumvis regenita & illuminata, denuo tamen in captivitatem sub obsequium Christi est redigenda. Quibus rationem fides in ditionem accipiat, leges & conditiones nervose tradunt Celeberrimi Autores relationum Innocuarum. (4) Rationi in rebus fidei suo modo & oculata & cæca nec in omnibus deroganda, nec in omnibus habenda est fides. Stet igitur revelationi suum magisterium, & rationi, quæ caligat, obsequii relinquatur gloria, juxta tritum Clementis Alexandrini testimonium : Philosophia Theologiqæ

logiæ fœse submittat, ut Agar Saræ , patiatur se admoneri & corrigi; sin minus pareat, ejice ancillam. (5)

(1) Vid. L' Art. de penser P. IV. c. 2.

(2) Familiaris est hæc distinctio Calvinianis , qua vim argumentorum à cœcitate & captivatione Rationis desumtorum elidere frustra conantur. Sic enim Joh. Jac. Grynæus in Disp. de Cœna th. 25. Rationi humanae , quæ post regenerationem spiritualis facta est , & non probat errores philosophiaæ , sed vera principiade humani corporis principiis essentialibus, quatenus verum testimoniūm creaturis perhibet, fidem non derogamus. Eandem tibiam inflant Sociniani. Sic Schmaltzius in præfat. refut. Disput. D. Frantzii : Quæ de ratione humana , divina revelatione nondum collustrata, in scripturis dicuntur , ea inscritè referuntur ad eam, quæ à Deo est illuminata, Conf. B. Joh. Gerh. Disput. Theol. P. I. Disp. V. p. 116. it. Disp. X p. 204.

(3) Conf. ea , quæ de infirmitatibus regenitæ etiam rationi adhærentibus diximus supra §. 6.

(4) np. A. 1707. Ord. I. p. 69. ubi has offerunt conditions . I. Ratio ante omnia suam corruptionem, morborum & præjudiciorum vim agnoscat & emendari patiatur. II. Etiam emendata imbecillitatē suam arctosque cancellos agnoscat atque intra eosdem se contineat. III. Ratio de iis , quæ sufficienter cognoscere non potest, quorumque indolem, circumstantias & recessus ignorat, nihil pronunciet. IV. Eadem , Deum falli non posse profiteatur, deque ejus Omnipotentia amplissimè sentiat. V. Ratio quæstionem de modo, quippe ne in naturalibus quidem satis planam , in divinis violenter non urgeat. VI. Et si dubia secundaria & accidentalia supersint, non tamen eorundem causa, si substantia causa rectè se habeat, ratio assensum revelationibus divinis deneget; nam & in naturalibus, quæ paulo altioris indaginis sunt, res ita se habet. VII. atque sic ratio æquam honestamque servitatem serviat.

(5) Conf. Petri von Maastricht Theol. Cartesiana detecta s. Gangræna Novit. Cartes. c. III. p. 40.

§. XV. Quæstiones his affines ex hac tenus prolixè expositis tantum fecerantur luminis, ut in iis enodandis brevissimis nobis esse liceat. Rationem seu Philosophiam non dominari, sed ancillari Theologia, meridiano solis jubare clarius enitescit; Ancillari enim est, usum & operam cum submissione & obedientia alicui præstare; Quod si cum antea dictis conferre placuerit, res erit in vado. Τις ερεπει περιπέτεροι committeret, fallibile infallibili, humanum divino qui præferre non erubuerit. Qui divinam Scripturæ auctoritatem primariò & ultimato ex rationis lumine adstructam dependere garriunt, fides eorum sane humana, non divina est. Firmiori αρχογονίᾳ suffulta, contra inferorum portas Satanæque cibrationes immota consistat fides, quam si huic arenæ superstructa solum esset; Non quidem secundaria pro divinitate Scripturæ argumenta è rationis fonte hausta susque deque habemus; Ast præparantia tantum sunt & removentia prohibens, non fidem ipsam accendentia, quod unicum est testimonium Spiritus S. per verbum divina virtute prægnans 1. Joh. V, 6. 1. Cor. II, 5. Falcem in alienam immittunt messem, qui Philosophiam s. Rationem Scripturæ Interpretarem consulunt. Quomodo enim, cui η σοφία θεοῦ εν μυστηρίῳ est μωεία, ex suo genio τὸν νέον τῷ Χριστῷ posset πνευματικῶς διαχείνειν 1. Cor. II, 15. Vah quam horrenda interpretationum, vel ut verius dicam, depravationum monstra luscidus hic peperit Polyphemus! Rationis principia divina, & æque infallibilia æque certa ac ea, quæ divina immediata revelatione sunt patefacta, vocare nunquam poterit, qui corruptionis abyssum, in quem detrusa squaltet ratio, inspicerit. Si evidenter dixeris ea, de quibus claras & distinctas percipis ideas, impium Thomæ sapit genium, nihil credere velle, nisi quod sit evidens; cum ex supra dictis constet, rationem nostram de mysteriis ad claras & distinctas ideas adspirare non posse. (*) Nec tandem omnem errorum & heresium culpam unicè in voluntatis pravos affectus malitiamque licet devolvere, intellectum autem tanquam facultatem puram & inno-

& innoxiam excusare; Cūm utraque facultas & intellectus & voluntas peccato originali pari fœditate, infirmitate, morbisque omnino lethalibus infecta sit & miserrimè deturpata, ut in erroribus & vitiis pari ambulent passu. Cautè igitur Usum rationis ab abusu, aurum à scoriis discernamus, & Fidei suam dominandi auctoritatem, & rationi justa sua officia, suum cuique tribuentes, cum D. Athanasio, qui, Hominum, inquit, perspicacium est, ut Paulus præcepit, lectioni attendere, ut rem cum judicio discernant, & pro natura rerum, quæ ibi scribuntur, vocabula accipiant, sine intellectus confusione, ne quæ DEI sunt, *Humano more intelligas*, nec in rebus humanis tanquam de divinis cogites. Id enim est vinum aqua miscere & alienum ignem inferre

Mórv̄ Θεῷ δόξα.

(*) Conf. Petrus van Maestricht l. c. à cap. III. usque ad X. Quæ de his agitatæ sint controversiæ inter Eliam Saurinum & P. Jurieum, inter Dukerum, Huberum, Regium, Roëllum, Wittichum, Braunum, Hulsium ante hos triginta annos in Belgio & hoc seculo inter Bælum, Clericum, Jaquelotum & Leibnitium altiquando in Sectione III. Elenchitæ prolixiori opera adducemus.

• •

*NOBILISSIMO ac DOCTISSIMO
Dn. RESPONDENTI,
S. S. Theologiæ & senioris Philosophiæ Cultori strenuo
ac indefesso,*

*Amico & Auditori suo industrio & solertissimo,
Prospera quævis & felicem Disputationis ac studiorum
succesum precatur:*

WEIDNERUS D.

EX quo, *Eruditissime Dn. Minus*, in hac nostra ar-
tium liberalium & studiorum palaestra degis, hunc
tibi animum diu gratulor, quo inter honestissi-
mus

mos mores, Musis hanc operam navas, ut quotidie evadas doctior, in causis dijudicandis promptior & in selegendis, quæ præcipue ex usu sient, felicior; neque enim doctrinas solum integre cepisse, satis tibi est, sed & ut historiam nossæ, quot novatorum turbis sint impeditæ, quidve a seculo ad seculum, qvinimo ab anno ad annum circa easdem dederit exquisita discussio, solicite curas, nec ab exercitiis, quæ linguam efformant disertam, licentiose abstraheris, & differendo ac disputando experiris, quid valeant humeri, quid ferre recusent? His laudatissimis operis illustri Tuæ Patriæ, cui mea etiam sors plurima debet, olim inserviturus. O quam felices arbitror illos studiorum alumnos, quos a juventute finxit gloria Præceptorum sedulitas, ut, quid e re foret, respicere ac meditari valeant, nec concilientur ambagibus, quorum aliquando multos turpiter pœnitabit! Cum ergo Tu etiam, *Aestumatisime Dn. Minus*, hodegos habueris Lubecæ celeberrimos, inter quos *Præ-Nobilissimum ac Amplissimum Dn. a SEELEN*, Virum quem omnes venerantur, & cuius vasta eruditio ac inexhausta affiduitas honestiorum omnium albos diu meruit calculos, non uno nomine amplector ac suspicio, atque in eadem meta apud nos insatiata cupidine progrederis, cuius adamandæ solertiæ nunc publicum exhibes documentum, qui possum aliter, quam ut tuis curis & conatibus favore propensissimo applaudam? Deus, *Almus studiorum Nostrorum brabevta* conseruet tibi hanc egregiam mentem, ut cum Te non Tibi, sed Publico & Patriæ satum noris, in hæc honestiora singula æmuleris, queis publice porro declarare valeas, quibus emolumentis ascenderis, & quid expectandum de Te sit iis, qui Rempublicam simulac Ecclesiam curant! Vale! & restuas ex voto perpetim agas! E Musæo VIII, Calend. Septembris Anno reparata salutis MDCCXXI.

Nobi-

*NOBILISSIMO ac PRÆCLARISSIMO
Dn. RESPONDENTI,*

XAIPEIN KAI YIAINEIN!

EX quo tempore Tui nactus sum penitorem notiti-
am, Amantissime Dn. MINE! non potui non intimo in
Temet amore ferri, virtus enim tua semet ipsam com-
mendat, sicque tuam insimul personam nemini non commen-
dat. Sane quoad usque in Alma nostra studiorum gratia
substitisti, discendi ac proficiendi ardorem singularem cum pro-
bitate & modestia insigni conjunxisti, eò omnem movens la-
pidem, ut Deum, summum studiorum Sátorem ac Státorem,
Tibi conciliares Patronum Supremum, homines verò haberes
faventes. Hinc neminem fore sum persvasis, qui non Tibi
tuisque musis benè prectetur. Amant Te Doctores Tui, quip-
pe quos venustate morum Tibi devinxisti. Diligunt Te Ami-
ci, quippe quibus jucunditas conversationis Tuæ arridet. Lau-
dant Te Commilitones Tui, quippe qvos exemplo Tuo ad lau-
dabilia qvævis excitas. Hinc mirum non est celebritatem
quandam nominis ex ingenuitate tua Tibi accessisse. Benè enim
Pindarus alicubi canit: τιμῶντες δ' ἀγέτας εἰς Φανερὸν ὁδὸν ἔχοντας,
τεμπάρεις χρῆσον i. e. *Colentes virtutes apertam viam veniunt*
(celebres evadunt.) *Nobilitat quemque opus.* Et cum Cathedram
quoque publicam conscendere gestis, propositum tuum ex in-
timis præcordiorum penetralibus Tibi gratulor, Deum arden-
tissime precatus, velit Tibi nunquam non blandam gratiæ suæ
auram adspirare, atque prospera quæque quam clementissimè
largiri, ut Patria exoptatissima, Parentes honoratissimi, omnes-
que boni habeant, de quo in finu gaudeant. Ερίωτο! Depro-
perabam ex Musæo Rostochi Anno MDCCXXI, die 26. Aug.

Tui Tot.

HERM. CHRISTOPH. Engelcken/

S. S. Theol. Doct. ejusdemque

Prof. Publ. Ord.

(h)

NOBL.

NOBILIS. CLARISSIMOQUE
Dn. RESPONDENTI,

Comilitoni suo perindustrio,
Fautor & Amico jucundissimo,

S. & O.

FR. ALB. AEPINUS.

TE quoties intueor, Optime MINE! non possum non, quia Patria non modò tuae, inclite Lubeca, cui bene precamur, sed & Ecclesia Orbique Literato gratuler. Nam omnibus Te viribus conniti ostendis comprobasque, ut is aliquando evadas, qui & isti ornamentum conciliare, & his afferre commoda multa possis. Singuli namque Preceptores tui hoc Tibi laudis tribuunt, ut diligenter Commilitonum suorum Te censeant annumerandum. Et me quod attinet, vel quotidie tuam, lateri meo assentis, industriam, attentionem & doctrinas propositas hauriendi aviditatem non sine jucunditate animadverto. Dunque tota tua vivendi ratio & actiones singula pietatis, modestiae omnigenaeque virtutis studium & amorem spirent, facillimum Tibi fuit omnium mereri laudem atque favorem. Cui majorem nunc cumulum adjicies, quando publicum eruditiois tue per biennium, quod in hac nostrâ Musarum sede omnino laudabiliter transegisti, nunquam delassata industria comparata specimen exhibitus es Patronis tuis pariter atque Clariissimo Parenti, Te operam id dare, ut eorum, de indole tua conceptam egregiam spem non aeques modo, sed superes, demonstratus. Fauxit Supremus rex nostra rum & Arbitr & Director, bi tui conatus felicissime succedant, & quam Tibi providentia illius indidit, indolem eximiam conservet, quod & Parenti tuo, & Patrie, imo bonis omnibus, multum gaudii afferas, Ecclesiaque commoda & emolumenta non pauciora prestes. Sic valeas etiam atque etiam, opto, & rem tuam ex voto feliciter agas. Ser. Rostoch. d. 26. Aug. Anno MDCCXXI.

Nobilis-

*Nobilissimo atque Clarissimo
DNO. MINO,*

Auditori suo perindustrio atque proin summo-
pere dilecto.

S. P. P.

AB eruditissimo illo Belga, *Erasmo Roterodamo*, quem sua
obstupuit ætas, interrogans non nemo, quâ ratione e-
vaderet doctus, id responsi tulisse fertur: *si doctis affi-*
duè conviveret, si doctos non minus attentè audiret, quam re-
verenter, si doctos strenue legeret, si doctos diligenter edisceret, au-
ctorē Crucio in Mercur. Batav. Lib. I. p. 15. Optimè sanè re-
sponsum! Nemo quippe ad veram rerum scientiam atque
doctrinam adspirare poterit, nisi & *auscultet* & *legat* & *discat*.
Hac certa eruditioris obtainendæ sunt media. Unde & *Divus*
Plato de Republ. L. VII. graviter monet, ut quibus uberrimos
in litteris facere progressus est volupe, sint φιλομαθεῖς φιλόνοοι
ἢ ζητῶντοι. Et Hebræi in פָּרָקִי אַבּוֹת dicunt: *Esto pulvrisans*
se in pulvere sapientum, atque bibe cum siti verba eorum. Et hæc-
ce pariter Tibi, MINE ἈΣΤΥΜΑΤΙSSIME, in mente multa-
rum scientiarum avidâ semper hærent, adeoque totus in eo es,
ut ex auscultatione, non minus ac lectione & alloquio Do-
ctorum Tuorum amantissimorum *Facundissimi* nimirum WEID-
NERI, *Literatissimi* ENGELKENII & *acutissimi* AEPINI, sedula-
que ruminatione eorum, quæ ab iis laudatissimis Theologis,
& ex ore meo minime docto in Collegiis non duntaxat Lo-
gicis, Metaphysicis; sed Græcis insuper & Disputatoriis,
(quibus tanto te interfuisse semper fervore, ut vix unquam
Tuam desideraverim præsentiam, nec sine propitiâ veritate
hic reticere possum) audivisti, legisti, didicisti, doctior re-
deas

deas. Cum verò parum sit scientia nisi accedat & Virtus, ceu facundissimus ille Ecclesiæ ac verè Laetitus Doctor, Laetantius in Institutionibus suis divinis optimè & ad veritatis amissimam enunciavit; neque minus subinde cum magnâ discendi cupiditate fororio nexus conjungis pietatem, morum probitatem, castitatem, modestiam atque sinceritatem, haud sane immemor regulæ non solum istius, omnibus notissimæ, at paucis familiaris: DEO vivas pie, Tibi caſte, proximo iuste; Sed & Symboli Magnifici Dni. RODDII, Consulis Reip. Lubencens. immortaliter meriti, Patroni tui æternum devenerandi; sincere, Iuste, Pie. In Conversatione probè observare didicisti magni illius in vitâ recte instituendâ Pædagogi, Senecæ monitum: Cunctis esto benignus, nemini blandus, paucis familiaris, omnibus æquus. Quodsi itaque cum tanta, quâ cœpisti, alacritatè, tantoque ardore litterarum stadium feliciter decurras, virtutumque studio impigrè progrediaris, nullus dubito, fore, ut eruditionis juxta ac honoris culmen olim adscendas, Patriæque Tuæ fructum afferas, Ecclesiæ & Rei Literariæ salutarem. Interea temporis uberiora Tibi gratiæ divinæ augmenta, singularemque Patronorum Benevolentiam ex toto pectore voveo, precorqve. Vale!

Nominis Tui

Dabam è Museo meo,
die XXVI. Auguſti,
Anno MDCCXI.

obſervantissimus

M. LUDOVICUS Schulz/
Gedanensis.

Nobi-

Nobilissimo, Clarissimo atque Doctissimo
Dno. RESPONDENTI,

S. P. P.
P R A E S E S.

Quibus ex meliori luto finxit præcordia Titan, cum
vulgo humi repere non contenti, altiora petunt, ve-
ritatis amore &, quo in eam flagrant, desiderio
calcar ipsis addente. Fastidiunt generosi hi animi mollia
ignaviae pulvinaria. Sordent ipsis spissæ ignorantie tene-
bræ. Cane & angue pejus fugunt mores ad effeminateam
voluptatem compositos, nullas non, arduas licet ac præpe-
ditas, ad veritatem tamen ducentes vias calcare, &
improbo terere labore, suarum partium esse rati. His,
non quidem prepostere acceleratis, prudenter tamen ma-
turatis gressibus ad laudum trophyæ gloriæque fastigium
concedunt, amittuntur, pertingunt felicitèr. Tuam, Cla-
rissime, ac Doctissime Domine MINUS, Amice æstuma-
tissime, Tuam hic vivis coloribus depictam sifto imaginem.
Testes bujus omni exceptione majores sunt, quorum ab ore
attentus hic pendes, Praeceptores tui ac Professores. Col-
laudant, venerantur ac intensissimo prosequuntur affectu
hanc boni omnis verique amantem tuam mentem, quibus
tua consuetudine uti datum est. Te dignissimum Musarum
juxta ac Sacrarum Litterarum Cultorem Alma nostra una-
nimibus depraedicat suffragiis. Gratulor itaque Patriæ,
Parenti, Tibi. Calidissima subjungo vota, ut Ter Optimus Maximus Studia tua laudatissime hactenus exculta, Spiritus S. assistentia ad æxpiæ evecta aliquando justè promerito
exornet brabæ, & reliqua vita tua Fata in Nominis sui
gloriam, Tuorum gaudium, Tuammet utilitatem jubeat esse
fausta, auspiciatissima. Vale.

I. 2

Amice

Amice æstumatisime!

RESPONDENS

Dissertationis Præsentis Felicissime!

EA multis animi sedet indoles, ut hoc superbius intumescent, ac stoicō velut superciliō arrogantiae cristas erigant, quō politiore fœcundioreque sint literaturā. Quod licet neminem nisi defioculum ac cucurbitas lippientem probaturum, sit in proclivi, non adeo tamen mirum. Aviculas enim, quo pluribus subnixæ pennis, eō sublimius evolare in auras, formosumque pavonum gregem, quo latius flabellum explicat, eō magis mirari sese subinde, videmus quotidie. Sed sunt ubique locorum homines, qui, cum ne primoribus quidem labellis degustaverint bonas literas, nec, (ut unctioribus eos describam sermonibus,) plus sapient, quam sus occisa, se tamen omnium primos (si Diis placet) haberi discipiunt, ac indignanter ferunt, quod non pluris astimentur, & quod, quaquaversum transferint, à tertio jam jugere transeuntibus non assurgatur. Quodnam arrogantia, (mordaci meritò ab ingenuis ustulanda verò) habeant argumentum, me quidem lateare, ultro fateor. Sagaciore tamen examine omnem eorum excutienti conditionem, sat clare dispalescet, præter fumosas Majorum imagines ac bracteatas, vel, si mavis, segmentatam felicitatem nil ipsis esse relictum. Hisce tamen, velut glaucomate, officias peregrinis oculis pingunt, vix subodorantes, (sunt enim obesæ naris,) cuncta hæc in morem nivium mox distabescere posse. Stolida tamen multorum mentes sic agit vesania, ut præimmodico fastu salivam in cælum expuerent, ni infestas recasuram, metuerent. Suam tamen, ut quodammodo pallient arrogantiam, cælum irretortò contuentur oculò, ne inscrabætos (neminem enim præ se hominem ducunt) vertere eosdem neesse habeant. Crederes ardua meditari negotia, ni, qui eos intùs & in cute nōrunt, fringillarum captura, hornâ

cum-

cumprimis æstate, ubi maximè calet, esse occupatos, dicerent.
 Qui proinde fastu hōc æthnā molestiori, bilem fibi excitari nō
 lit, aut ocyus se de viā tollat, aut ubi fortè fortuna crabrones
 hosce irritaverit, diras, fulgura, (sed ex pelvi) imò mortem
 ab imperiosā eorum auctoritate (sit Boëtianæ phrasī venia) pa-
 tienti exspectet animō. Consultius sanè facerent, si, qua un-
 diquaque turgent, arrogantiā infibularent, ac humanitatem,
 à qva, (Agellio teste) apud Latinos humaniores literæ suos
 repetunt natales, submissius colerent. Vid. Bacheri Flaviss.
 Poët, p. 506. & Ovid. lib. I. de Ponto. Eleg. VII. ad Græcinum,
 qui apprime hanc in rem loquitur. Sed hoc insaniæ cestrō semel
 perciti, vix ac ne vix quidem ad frugem redeunt, nisi parili
 percussi tragulā, Phrygum more, suo sapientiā impendio; nullō
 enim aliās helleborō contagiosam hanc cerebri expurgabis de-
 mentiam, & qui ægras eorum sanare posfit mentes, Medicum
 corvo albo rariorem deprehendens. Hæc, quō vergant, nullō
 intelligent negotiō, qui Te, Amice Conjunctissime! inspexerunt
 penitus, omnesque fateri necesse habebunt, ab hāc morbi con-
 tagione Te planè esse alienum, quam, etra alicujus præjudici-
 um, suis hic pinxi coloribus, ut, quantum distent æra lupi-
 nis, abundè colliqvesceret. Nam etsi perpeti diligentia & im-
 probō sudore multam Tibi paraveris eruditionem, quæ ani-
 mum tuum pulchrè ornat exornatque, hoc Te tamen nescire
 velle, plus simplici vice ex tuō accepi ore; imo modestissimè
 de rebus tuis judicare assoles, & Tibi ipsi es minùs, ac qvldem
 haberis aliis, sicque nomen dulci exprimis omne. Cuncta
 hæc me in Tui amorem sic traxere, ut eundem, solidissimō glu-
 tine ferruminatum constanter optem. Cum verò publicum do-
 Ætarum tuarum virtutum specimen pandere Tibi sit animus,
 inviolabiles profecto amicitia violarem leges, imò durūs filex
 & marpesia essēnt cautes, ni Te publicā sequerer gratulatione,
 fausta quæque Tibi cordicitus precaturus. Nihil proindè va-
 lidioribus in votis pono, quam, ut specimen, quod impræsen-
 tiarum moliris, Tibi ex votō & ex animō fluat, fitque stimulus
 ad altius percolenda studia; sic non vanus augur existo, fore,

ut Ecclesia, Patria, Patroni, Parens Tuus Venerandus, habent, qvô de meritô sibi gratulari posint. Cæterum, ut Tibi per omnem vitam cœlestes feliciter cadant taxilli, crescasque semper à minori ad majus, si quid unquam, hoc maximè vo-
yeo. Me, ut hæc tenus amasti. desinas nunquam, credasque vicissim, non in ostiô tantum me esse formosum, & pellace vulpe benigniorem, sed eum, qvi Te oculitus & sine fuco per-
petim est amaturus, sic scribit

TUUS.

E Museo, qvinto Calendas
Septembris. A. O. R.
MDCCXXI.

dum minimâ ex parte suis

JOH. JAC. TADDEL,
Oppositurus.

Amice Pyladæ!

*Mi sub eodem Palladis Vexillo
Commilito Dulcisime!*

UTilitatem quam insignem, Amicorum Dilectissime!
comparare sibi queat animi sinceritas; id haud
obscure apparet ex effato Silii Italici Poetæ &
Cor-

Consulis Romani, ævo suo celeberrimi, inquietis: *Fax
mentis honestæ gloria.* Ecquid ille verbis hisce paucis
aliud innuere vult, quam quod fama hominis sanctimo-
nia & integritate vitæ præstantis in terrarum orbem spar-
gatur. Sicuti enim fax urens multos spargit radios, eos-
que mortalium oculis immittit; ita nec minus integerri-
mæ ac piissimæ mentis gloria longe lateque se diffundit.
Animus tuus, Amice dulcissime Conterranea suavissime, ab
omni fuso alienus, propensa que tua in me voluntas allicit
me hodierno die & ad gratulationem & ad votum. Gratula-
tor itaque ex sincera mente de jam edito specimine tuo
Theologico. Faxit divinum Numen, ut studia tua lau-
dabiliter suscepta non duntaxat vergant in sui gloriam,
Ecclesiæ emolumentum, Patriæ decus, Parentis gaudium
amicorumque oblectamentum; sed & gloriæ facem sem-
per secum ferant. Vale ex votis & tuo prosequi amore
pergas sincerum amicum tuum qui est & manet

Tui addictissimus

P. FICK, Opponens.

Ein Freund! Die treue Pflicht steht
heute zwar bereit/
Und will nach Möglichkeit JHN mit Ge-
dichten ehren;
Jedoch ich stell es ein/ weil seinen Ruhm zu meh-
ren/
Mir fehlt ein reiner Satz/ und die Geschicklichkeit;
Wer weiß zudem auch nicht / wie wohl EN je-
derzeit

Mit

Mit Lust und Ruhm gefast die hohen Gottes Lehren?
Der Grossen Männer Schrift wird IIM dich Lob zu-
kehren/


Dass ER bey SIE durch Fleiß steht in Gewogen-
heit.

Drum will ich Sie für mich das Wort nur reden lassen/
Und meinen treuen Wunsch in kurhen Zeilen fassen:

Der Himmel schencke Glück ! und seine
holde Krafft
Läß ein erwünschtes Ziel im Seegen IHN
gewinnen!
Damit durch Seine Müh und die geübten
Sinnen
Der Kirchen werde Nutz und vielen Heyl
geschafft.

Dieses wolte aus wohlmeynenden Gemüht / dem
Herrn Respondenten seine Liebe zu contestiren/
hinz zu segen/

P. SWIETLICKI,
Oppon.




00 4 6306




56.

V317

Dextra 71.94.





15

DISPUTATIO THEOLOGICA,
RATIONI SUOS
IN THEOLOGIA
LIMITES DEFINIENS,
DIVINUMque EFFATUM II. Corinth. X. 5.
contra
Cl. Dn. STEPHANUM VITUM
vindicans,
OVAM SUB AUSPICCIIS DIVINIS,
EX SPECIALI INDULTU ET BENEVOLO CONSENSU
SUMME REVERENDÆ FACULTATIS THEOLOGICÆ,
MODERATORE
VIRO MAGNIFICO, SUMME REVERENDO DOMINO,
DN. JOH. JOACHIMO
WEIDENERO,
S. S. Theol. D. & Prof. P. Ord. longe Celeberrimo ad D. Mariae
Ædem Pastore meritissimo, h. t Decano & Seniore Facultatis,
P R Ä S I D E
M. CAR. JOACH. Sibeth/
Marl. Megapol.
H. L. Q. C.
D. xxx. Augusti, Anno MDCCXXI.
defender RESPONDENS
JOHANNES DANIEL MINUS,
Lubec. S. S. Theol. & Philof. Stud.

ROSTOCHII, Typis NICOLAI SCHWIEGEROVI, Ampliss. Senat. Typogr.